Aquilæ Cruse

τοῦ μακαρίτου,

Εὐδαίμων *Aristotelicus*;

Richardi Watson

Ludio Parænieticus;

Orationes olim habitæ *Cantabrigiæ*, in solenni Professione Filiorum, Artium Candidatorum.

Prioris adhuc

Antimachus Gigantum;

Posterioris

Alia, quorum versa post Epistolam pagina Indicem aperiet.


——— *aliter non fit*, Avite, *liber*.

LONDINI,

Typis *R. I.* MDCLXV.

734 a 11


731. a 11



Janua. 20. 1664.

Imprimatur,

Roger L'estrange.



Aquilæ Cruso

τῦ μακαρίτυ,
Ἐυδαίμων *Aristotelicus*;

Richardi Watson

Ludio Paræneticus;

Orationes olim habitæ *Cantabrigiæ*, in solemni Professione Filiorum, Artium Candidatorum.

Prioris adhuc
Antimachus Gigantum;

Posterioris
Alia, quorum versa post Epistolam pagina Indicem aperiet.

——— *aliter non fit* Avite, *lib. I.*

LONDINI,
Typis *R. I.* MDCLXV.

Aquilæ Crusæ

[illegible]

Εὐδοξίαν Aristotelicus;

Richardi Watson

Ludi[illegible] Hermeticus;



Orationes [illegible] Cantabrigiæ, in solemni Promotione [illegible] Artium Candidatorum.

45
6 30
795
77

Prioris adhæc
Antimachia Gigantum;

Posterioris

Alii, quorum versa post Epistolam pagina Indicem reperies.

[illegible]

LONDINI,
Typis [illegible] MDCLXV.

Lectori Candido Sc. S.

QUàm manifestum apud Britannos dãnum sustinuit Respublica Literaria, currentis seculi nupero decennio, qui armorum Civilium inordinatos impetus, & irati militis cæcam violentiam, aut senseris, aut legeris, longè faciliùs æstimare poteris, quàm voto quocunque, vel auxilio, reparare. Musarum

rum undique direpta sacraria, & profanis populi furentis manibus violata; expilata doctorum virorū scrinia, & scripta illustrium Animarum monumenta, Sibyllarum sc. nostrarum folia, ad ultimos Insulæ hujus, tunc temporis (siquando aliàs) Infortunatæ, terminos contrariis ventorum flatibus agitata, jamtandem conqueri, aut deflere denuò, non esset illa solicitiùs restituere; aut hæc eadem curiosiùs resarcire. Illud ego honestum magis, & tempestivum, sentio; quicquid

quid tantæ jacturæ ſupereſt; quicquid è terreſtri naufragio, ſecundâ Fortunæ *tabulâ delatũ, tumentes, tumultuanteſve,* Inſolentiæ *fluctus ſupertranavit, non aliter quàm è cœlo demiſſum, religioſiùs excipere, &* Apollini, *Deo literatorũ hominum, publicè conſecrare. Inde eſt quòd A.C.* Εὐδαίμονα Ariſtotelicũ, Antimachum *itidẽ* Gigantum, *exhibemus, feſtivi certè Ingenii reliquias, & floridioris literaturæ ſpecimina, nec typorum elegantiâ, nec chartæ puritate, contemnenda;*

 Viri

Viri apud suos Cantabrigienses *olim celeberrimi*, Cissa-cistrensis *Ecclesiæ non ita pridē perillustris ornamenti; cui, juveni*, Virgilianam *animam et* Homericam *simùl* (*quidni etiam* Platonicam Aristotelicamq;) *transmissā dixerint*; *seni corculum* Antiquæ Theologiæ *inditum*, *succum & sanguinem* Ecclesiasticorum Patrum, & Scholasticorum Doctorum, *transvasatū asserunt etiamnum inter* Præsules *nostros integerrimi judices*, *quibus notus fuit*, & *Catholicæ*

doctrinæ

doctrinæ callentissimi. *Quod intentũ adeò encomium, & de industriâ explicatum, quantũvis tanti viri* Manibus *justè debitum, & parùm adulatoriè persolutum, vix huic opellæ præfixeramus, nisi idem longè majori* Scripto, *& severioris materiæ,* prodromum, *de quo bene speratur adhuc, edidissemus.*

Cætera, Lector, *quæ hisce interseruntur, alium sibi, & planè alterum, authorem vendicant; cui non tam chara habentur, aut formosa, ut, quod de*

de Simiarum sobole narrant Naturales Historici, amplexu eadẽ strictiori enecet, & semimortua cadavera, aut palpitantia tibi viscera objiciat; qui modestior est, quàm ut cum Scipionis Somnio *suas semisomnes* Vigilias; *cum* Roscio Panniculũ, Derisoremve Latinũ; *cum felici* Scenico *scopticum quendam* Ludionẽ *comparet; quàm ut* Antimacho Gigantũ *à latere sistat* Pygmæũ *aliquẽ, aut perridiculũ* pusionẽ. *Poterat illud Epigrammatistæ meminisse;*

Post

Post te victuræ per te quoq; vivere chartæ
Incipiant, ———

nisi quod prætiū suis, nihili æstimandis, ponere videretur, et fictitiæ Famæ vitā, quam nec habuit unquā, nec sit fortaßis habitura, audax Æsculapius *prorogare. Fatetur aliquid hærere animo altiùs infixū, nunquā eruendū: et quamvis longè absuturum sperat ut studuerit vindictæ, haud omninò inhonestū sentit, aut indecorū, ut nomini consuleret, idemq; integrū, saltē quod ad temporis impen-*

dium

dium, & Scholasticas rationes attinet, posteritati dubiæ, suspiciosæve, transmitteret. Nullius magis affines causæ, nec cui certè fallaci aucupio, prodeunt hæ juveniles curæ, allocutiones Oratoriæ; quæ, præter Lectorē candidū, *non* festinant *aliū* sibi vindicē parare; *à quo si vel* Tyrocinio Academico *commendentur, vel in* Gymnasiis *adhuc* minoribus *sustineantur, satis* Editori *gratificabitur, qui haud ignorat quàm æquè nunc, ac olim, dierum, non sine suo incommodo,*

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Chartarum Indiculus.

Ἐγκαίμιον Aristotelicus, *Somnium*. p. 1.
Ludio Paræneticus. pag. 33.
Adversus Rhetoras formularios, cùm Senecæ Troada *R.W. aperuit* Cantabrigiæ. pag. 57.
Ad Philologiam antiquam Invitatio. pag. 64.
Senecæ *Encomium.* pag. 66.
Classicum Homericum *Prælectoris* Græci *ad armata studia Collegas Juvenes provocantis* pag. 69.
Tuba Hebraïca *Prælectoris, inter* bella Civilia, *Collegas Juvenes ad studium* Linguæ Sanctæ *convocantis.* pag. 74
Præfatio habita ante Disputationem Philosophicam. In Scholis publicis pag. 77
In minoribus Comitiis, Præfatio Disputationem Philosophicam, cum Patre habendam, antegressa. pag. 80
Speculum Socraticum, *Ad nobilem quendam*

dam

dam Juvenem, in arenam Philosophicam sponte descendentem, breve Moderatoris Anteloquium pag. 8[4]
Ad eundem, fœliciter absolutâ Disputatione Gratulatorium Epiphthegma. pag. 8[5]
Ardelio, sive in Scholis Juris-consultorum Moderatoris Oratio, præmissa duplici Controversia. pag. 8[7]
Pro electione ad Præfecturam Scholæ Persianæ, & paulò pòst, ad Sodalitium Caio-Gonvilense, utroque simul fruituri privilegio Ευχαριςήριον ad indulgentissimos Electores, Magistrum & Socios Collegii de Gonvile & Caius, in Academiâ Cantabrigiensi, apud Anglos. pag. 94
In Scholis Theologicis Præfatiuncula Apologetica. pag. 102
Declamatio prima. Quæritur, utra utri, Prudentia an Eloquentia, in Imperatore præstantissimo, C. Julio Cæsare, sit præferenda. pag. 104.
Declamatio secunda. Malèfecit Porcia, quæ Bruto, Cæsaris exitium meditanti, silentium præstitit. pag. 114
Decla-

Declamatio tertia. Caii Cæſaris, *non* Porcii Catonis, *ſententia, de captis in Conjuratione* Catilinariâ *Patriciis, & laudanda fuit, &* à Senatu Romano *admittenda.* pag. 128
Declamatio quarta. Benè & conſultò fecit nobilis Stanleius, *qui, cum filii periculo,* Richardo *tertio,* Angliæ Tyranno, *auxiliares copias poſtulanti, pernegavit.* pag. 142
A. C. Antimachus Gigantum; *In iſtam quæſtionem, quæ ſolet diſputari à Commentatoribus in* Ariſtot. 1. Phyſ. *cap.* 4.
Utrum in quavis ſpecie detur corpus maximum & minimum;
Digreſſio de Gigantibus. pag. 164

ΕΥΔΑΙΜΩΝ Ariſtotelicus.

Somnium.



Uid mihi in nupero ſomnio, cùm Εὐδαίμονα *Ariſtotelicum* quærerem, obtigerit, juvat proloqui. Nemo jam prædictum ſibi neget, me narrare *Somnium*; nec quiſquam faſtidioſum hîc cachinnum tollat, aut diſtorto vultu noſtras irrideat ineptias, nam & mihi etiam *Cynicus* præſtò eſt, qui *Zoilos* iſtos, & *Momos* (ſi auſint hiſcere) acriori morſu perſtringat: Multo minùs ſeve-

 rum

rum & rigidum volo interpretem, qui quælibet dicta, quò libet, rapiat; qui nugas nostras seria faciat, & *ridentem dicere verum* jubeat. Absint maligni isti commentatores, aut verba saltem nostra intacta relinquant: *Innocuos* nos aucupamur *sales*, quos hilari vultu animadvertat auditor, nec se vel rubore uspiam perfusum sentiat: Nec despiciat quispiam leviores nostros & vagabundos jocos, quos nulla unquam eruditorum secula invisos habuerunt: Ridere, nugari, quæ nunquam visa nec audita sunt narrare, olim apud togatos, etiam incanis, obtinuit. *Lucianum*, *Persium*, *Petronium* non nomino; vel nostra tempora quam crebra hujus rei exempla protulerunt? Prodiit *Euphormio* è *Lusinia*; circumfertur *Moriæ encomium*; *Menippus* aliquoties visus est; *Sardi venales* non ingratum sapiunt; etiã & nos *Thomæ Mori* colimus *Vtopiam*, & * *Mercurio Britannico* liberas alas concessimus: Quidni ergo & nobis *mentiri* liceat? Agam mehercle (sed *nec mentiar totus*) & rem ipsam, ut mihi

* Non nupero

mihi visa est, expediam: quod si falsa quædam, aut incredibilia, proferam, credite esse *somnium*; si nec recto ordine enarravero, scitote fluidas memoriæ impertiri *somniorum* imagines, quæ nec limam judicii admittunt, nec politam requirunt in dicendo orationem.

Serâ sub vesperâ,

Cum volucres hominumque genus superabile curis
Mulcebant placidi tranquilla oblivia somni;

Cùm nullus canum latratus, nullus cursitantium per platéas strepitus, nullæ mulierculārum rixæ parturientis cerebri machinam dimovere possent; cùm *Musis* solitudo & otium concederetur, dabam forte operam *morali Aristotelis doctrinæ*; ita enim mecum cogitabam, non esse semper cum *Socrate* in nubibus habitandum; sed quid in vitâ agendum sit, quid non; quomodo regendi affectus, quinam erga alios mores requiruntur, investigandum: occurrit oppidò tractatus *de Felicitate*; placuit initio ipse titu-

lus, quid enim non sedulò perpendatur illud quod ad unum omnes expetimus unice? legi igitur, relegi seriò, vidi fundamentum ejus *virtutem*, & pullulantem inde αὐταρκείαν, unà cum indefatigabili unius *virtutis* appetitu: allexit me statim rei suavitas, animumque mirum in modum sui desiderio accendit: verùm cùm penitùs introspicerem quàm ardua esset ad *virtutem* via; quàm crebra in illius cursu obstacula; quàm inconstans animus, & in aliud semper proclivis; quàm proni in vitium appetitus; duxi ab imo pectore suspirium, &, ô Deus bone! inquam, ecquis alicubi terrarum jam vivit, aut aliquando vixit *beatus*? ecquis adeò perfectam in sese administrat Rempublicam, ut nec civiles eam discordiæ lacerent, nec externæ eam quatiant injuriæ? An potius inanem Dii nobis posuerunt metam, quam expetere quidem liceat, nunquam autem attingere? An invitant nos ad *Hesperidum hortum*, ejusque aditum vigili draconis custodiâ præcludunt? Itane miseros

ſeros mortales Superi ludos habent? Adeóne ſolis Coelicolis fas eſt ſpumantes nectare calices exhaurire, reliquis nè deguſtare licet? Ergò ite fallaces Spes, nec vanæ, unquam poſthac, *Umbræ Tantali* cuiquam ſupplicium inferant.

Hujuſmodi querelis multam laſſavi noctem, non parùm ipſe laſſatus longioris noctis cruciatibus: itaque turbatos artus grabatulo repoſui, cùm ſubitò *Dius Somnus*, miſertus diſtracti nimis animi, valentiori me virgâ tetigit, & placidâ requie vagantes affectus conſopivit. Sed nec hîc finis laboris erat, initium dicatur potius: nam quæ me dormitarum comitabantur dubitationum reliquiæ, mille in Phantaſiâ labyrinthos, errores inextricabiles, & infinitas rerum imagines fabricabant: Videbar nunc in campis ſpatiari, nunc ad currentis fluminis ripas ſedere, nunc in ſummo alicujus turris faſtigio collocari, nunc ſupernatare Oceano, nunc in aëre volitare; nunc *Hiſpaniam*, nunc *Ægyptum*, nunc *Ruſsiam*; nunc *Septentrionales plagas*,

nunc utrasque *Indias* permeare: denique, quicquid immensus orbis ambitus complectitur, perlustrare videbar,

Terrasque, tractusque maris, cælumq; profundum.

Tandem, post longum iter, visus sum spatium quoddam incognitum occupare, quod nec unquam radiis suis penetravit Sol, quò nulli anni aut siderum cursus pertingerent, ubique desertissima solitudo erat, & magnæ cujusdam intercapedinis vastitas, credo *Epicuri* fuisse *intermundia*, vacuum imaginarium, vel potiús orbem illum quem Astronomi in Lunæ corpore occludi effingunt: Chimæræ hîc passim oberrant propè infinitæ, hîc

—— Centauri stabulant, Scyllæque triformes,

Et centum geminus Briareus——

Larvæ, lemures, & quæcunque olim grandæva Superstitio vereri solebat figmenta; omnes hîc montes aurei, amnes vino & nectare fluebant,

Flavaq; de viridi stillabant ilice mella.

Incolæ

Incolæ plerunque ſunt ἀκέφαλοι, κυνοκέφαλοι, & id genus hominum monſtra, quæ vani Hiſtorici in extremis *Indiis* fabulantur verſari; Horum veſtimenta fiunt ex panno è lanâ caprinâ contexto; hiſce præcipuum opus eſt, aſinos tondere, elixare lapides, arare littus, & arenæ ſemina mandare, aquam cribro haurire, utres vento plenos mergere. Vidi hîc nonnullos in circulo congregatos, & miris argutiis de quadraturâ circuli diſputantes; alius perorabat de conſtantiâ fœminarum; alius meditabatur litigioſam de aſini proſpectu orationem; erant etiam nonnulli è Scholaſticorum grege, qui ex impoſſibilibus ſuppoſitionibus inextricabiles nectebant ſyllogiſmorum nodos. Hîc dum oberro, tacito mecum murmure; mirabundus quis me Deus, extra meorum conſortium, in tam deviis & inaditis ſpatiis collocâſſet, ecce occurrit mihi ſenex quidam, rigidiori vultu, raro capillitio, naſo adunco, barbâ impexâ, pallium illi duplicatum erat, ſed pertuſum & lacerum, dextram ful-

ciebat baculus, sinistrâ laternam tenebat, a tergo autem ingens pera dependebat, ex qua identidem obsonia, lupinos, & legumina, quibus vesceretur, excipiebat. Mirabar primò hominis ingenium, nec facile mihi erat conjectare de quâ gente esset; verùm cùm propiùs accederem, & ex moribus *Cynicum* agnoscerem, meditabar statim fugam, utpote qui id genus hominum,

—— *Cane pejus & angue,*

Exosum semper habui; ille, ut me terga dantem cerneret, Heus tu (inquit) juvenis! quò festinas? quem fugis? ne metuas dentem meum; sum quidem ego ille *Diogenes*, sed non, ut olim, *Cynicus*; istas artes longa me Vetustas docuit dediscere; jamdudum aculeatum Satyricorum vestrorum sum aspernatus furorem, qui non in vitia, sed in homines sævire solent; maximè verò tum mihi venenum istud fuerit fastidio, cùm putidula *Schioppii* scripta ad manus pervenerunt; interim tamen conspicua vitia, fraudes, & dolos, non possum sine notâ

præterire. Non potui non mirari tam compoſitum hominis, ad riſum nati, ſermonem, tamque inexpectatatam (ni verbis imponeret) metamorphoſin; & Ignoſce, inquam, mi pater, timido nimis juveni, & ſiquod puerilis metus culpæ nomen mereri videatur, crede me peregrinum in hiſce locis, adeóque non ſine ratione ſuſpicioſum eſſe; verùm, quandoquidem tam liberam mihi dicendi copiam feciſti, ſi excidit tibi, ut ais, *Cynica* rabies, cur, quæſo, lychnum in manu geris, qui te vivum arguere ſolebat? Imò, inquit, ego etiamnum quæro *felicem hominem*, ſed nec acerbioribus quenquam dictis lacero, nec in quælibet vitia invehor; tu autem, quia ignarus hîc locorum & hominum erras, ſi lubet comitari, teſtis eris. Exoſculor gratiſſimè hominis humanitatem, & jam etiam venit in mentem quantum in veſpertinis vigiliis circa *felicitatem Ariſtotelicam* deſudâſſem, itaque lubentiſſimum me huic itineri addo comitem. Incedimus paſſu impari, & in viâ fortè inimus

collo-

colloquium *de Deorum beatitudine*; cùm ille, Non certè, ait, invideo coelicolis ambrosiam suam, nec stupendam illam, quam apud mortales obtinent, æstimationem detrahere cupio; interim tamen (in aurem dicam) non carent ipsi suis maculis; *Saturnus* filii impietate regno pellitur; *Jupiter* iratæ *Junoni* rixas, fulmine suo graviores, perpetitur; *Juno* zelotypâ vexatur insaniâ; *Mars* & *Venus* in adulterio deprehenduntur, & vulgi fabula fiunt; Inde pœnas luit *Sol*; &, cùm ipse a propriis flammis immunis sit, *Daphnes* tamen amore plus æquo flagrat; *Vulcanus* non solis Superis ludibrio est; *Mercurio* etiam, Deorum interpreti, vix adhibetur fides: adeò nec ipsis Diis datur *plenâ felicitate* frui. Vix poteram memet continere, quin tam iniquam nequissimi senis ulciscerer impietatem, sed retinuit studium assequendi propositi, & in alieno etiam regno omnia tuta metuebam. Progredimur ergò, cùm è longinquo ad dextram turres aliquot, & magnorum ædificiorum fastigia appa-
rent,

rent, crederes *obeliscum* vidisse, aut *Mausoli sepulchrum*, adeò summitates cœlo minitari videbantur: ego, Principis alicujus aut magnatis palatium ratus, quid illa, rogo, magnifica præ se ferunt? nonne *felicitatem* promittunt? Imò, ait, si alta stabula equum meliorem reddant, & iste splendor arguit *felicem*; quod si vehementior venti flatus exurgeret, aut immissis *Vulcanus* habenis insaniret, videres ut corrueret ista *felicitas*: ipsis autem principibus nihil potest cogitari miserius, qui cùm suorum perfidiam, exterorum injurias, famam publicam, invidiam, seditionem, suspicantur, in continuo metu vivunt: adde turpissimas adulatorum linguas, quibus ne *Sedulius* tormentum gravius excogitare potuisset. Vidên' tu illam sanguisugam? (simulque ostendit *Euclionem* quendam in obscurâ casulâ nummos numerantem) Vidên', inquit, aureum illum montem quem miserrimus iste per fas atque nefas struit? acervus sanè vix *Tago* aut *Pactolo* cedens, sed cui non ausit, etiamsi vel

vel maximè allatret stomachus, assem demere: os merum & pellis totus est, & plusquam triginta dies uno esurit mense. Quidam ex eo grege, fato functus, naulum *Charonti* negavit, & etiamnum ad *Stygias* ripas oberrare cogitur, & tamen hi homines (quæ mortalium dementia est!) *beati* creduntur. Agnovi verissima senis dicta, & tacitus vana hominum studia incusare cœpi, qui tantum operæ caducis fortunæ bonis congerendis impenderent, animum verò incultum, virtutis & sapientiæ prorsus inopem relinquerent. Sed interim hærebam adhuc dubius quis tandem vago itineri terminus foret; Ille, ut me pressis labiis murmurantem, & crebros identidem singultus emittentem, videret, Sed quidni, inquit, festinamus ad *Philosophorum conventus*? illi enim soli se Deorum convivas perhibent. Nec longum intercessit spatium, adeò jucunda salsissimi comitis dicteria decurtabant viam, quin *Epicuri Gymnasium* accessimus, domum *Natura*, non *Ars*, fabricaverat, con-

fertæ

sertæ per intervalla vites umbrosam fecerant, & nec ipsi Soli perviam; ubique sedilia è vivo saxo erant; quibus hinc inde saginati nonnulli discumbebant; in medio semper recens vini liquor ex perenni currebat fonte; ibi quidam, obeso magis ventre (huic enim qui graviori pollet corpore conceditur purpura unà cum gravitatis titulo) è vimineâ cathedrâ disserebat fortè de *Vitellii convivio*, quot illic dapes, quàm longè allatæ aviculæ, quæ exhausta comparandis piscibus maria, & quæ convenirent singulis ferculis condimenta; ubi aliquot magno labore expressisset sententias, implet ex fonte cantharum, quo deterso, postquam aliquandiu screavisset, & barbam bis terve demulsisset philosophicam, ad pensum redit; tum *Heliogabalum*, *Sardanapalum*, *Apicium*, & nescio quot,

—— *Epicuri de grege porcos*,

ad Deos evehit; dein instituit, inter *Græcam* luxuriam & *Romanam*, comparationem, & tandem concludit, neminem adhuc ad illum *felicitatis* apicem

per-

pervenisse, quo ipsi nunc fruuntur; interim auditores, *Baccho* & somno gravati, nictando annuebant, aderat enim tibicem qui post singulas dicentis periodos, veluti inter actus scenicos, personaret illam apud *Homerum* cantilenam,

Οὐ μὲν ἔγωγέ τί φημι τέλος χαριέστερον εἶναι
Ἢ ὅταν εὐφροσύνη μὲν ἔχῃ κατὰ δῆμον ἅπαντα.

Et saltaret illud *Horatii*,

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus ——

Miseri sanè homines (ne pecudes dicam potius) qui cùm libertatem, individuam felicitatis comitem, aucupari videntur, ventri & affectibus turpissimè inserviunt. Festinamus ergò ad *Academiam Platonicorum*, locum nemorosum *Palladi* olim sacrum, nunc verò noctuis habitatum, & ferali carmine resonantem: nullos hîc offendimus philosophos nedum Philosophorum vestigia, tantùm depicta quædam in parietibus simulacra quæ *idéæ* olim dicebantur, eaque longè

vetu-

vetuſtatis rubigine corroſa apparebant: verùm ubi interiora loci penetralia intramus (juvabat enim omnes aditus explorare) videmus aliquot non unius gentis nec habitus homines, intentis oculis ſpeculantes, idq; tanto ſupercilio, ut ex vultu facile eſſet divinari, eos non ſolitum aliquod aut uſitatum opus machinari: extemplo fervet vario opere ergaſtulum, hic nova *Mathematicæ* inſtrumenta fabricat, ille radios *Geometricos* corrigit, alter inauditas *Muſicæ* chordas excogitat, alius Naturæ novas leges, novos curſus imponere conatur, ſinguli ſingula diverſo, eoq; non vulgari, modo fabricabant. Ego inanem hominum induſtriam mirari non deſii, et quid verò (inquam) moliuntur formicæ iſtæ? an Solis plauſtrum deficere credunt, & fabro carere qui reſarciat? eoq; novum axem ſubſternere conantur? Tum ille, Opportunè verò rogas, inquit, jamdudum enim geſtivit animus enarrare veſanum hominis ingenium. Poſtquam *Peripatetici* umbras *Platonicas* fortiori ſpiritu difflaviſſent, eorumq;

rumq; nomen ultra *Græciæ* terminos floruisset, desertæ & despicatæ stabant istæ ædes, abierunt *Musæ*, & tristi bubonum clamori locũ dedere, donec post aliquot exacta lustra *Chymici* quidã in hisce plagis errabundi, satis perspectâ loci naturâ, inhabitatam domum occupârunt; hi, cum *Mycillo Lucianico*, nihil præter aurum somniabant; *Midæ* votum se adepturos non dubitabant, ut solo tactu quidlibet in aurum converterent; et quidni? cùm *Apollo* ipsis jam nunc asininas aures concessisset: huc ollas, vitrea, folles, et id genus instrumenta, ad instruendam officinam necessaria, adducunt; insudant fornaci adornandæ; instaurant focum; carbones lance libratos distribuunt, tacitè semper supputantes, *Si uncia pareret quindecim, quantus proventus esset ex unciis bis milli rediturus.* Tandem verò, ubi spem frustratã cernerent; ubi se magno conatu nihil agere viderent, nec Terra parens amplius suppeditandis carbonibus sufficeret; aufugerunt unà omnes, domumq; fumo repletam, sparsis hinc

hinc inde ollarum & vitreorum fragmentis, reliquerunt. Posteà intacta semper manserunt limina, usquedum accesserunt isti, quos vides, nugatores, scilicet fanatici cerebri homines, qui postquam aliquamdiu in orbe hoc imaginario, inter deliramenta & ægrorum somnia, versati essent, huc contendunt, totumque speculationibus suis implent domicilium; appellant se, novo nomine, *Fratres Roseæ Crucis*; promittunt perfectam, si Diis placet, omnium scientiarum & artium institutionem; novam *Philosophiam*, *Arithmeticam*, *Geometricam*, *Musicam*, *Astronomiam*, è cerebello suo effingunt; metuendum etiam est, ne novam Mundi cudant fabricam; atque, ut majorem apud imperitos fidem faciant, jactant secretam, nescio cujus Numinis, inspirationem; libros ostentant longè ante

——*bellum Thebanum & funera Trojæ*

conscriptos, à *Deucaleonæi* diluvii tyrannide, nescio quo modo, conservatos, & ad suas tandem manus, longâ patrum

traditione, deductos; ubi verò ad rationes, & ad libros ventum est, fungi meri sunt, & nec Umbræ Philosophorum. Conjectabam statim cujus farinæ homines essent, insulsi novatores, qui, quoniam communem nolunt calcare semitam, per colles, saxa, & lacus incedere gaudent.

Ab *Academiâ* digressi ad sinistram deflectimus, ubi aliquot emensi stadia *Stoam* pervenimus; locus angustus erat & spatiosus, numerosus confluxus, & satis amplum observationis nostræ theatrum, verùm ingressi (proh Deûm fidem!) qualem hîc invenimus novam palæstram! *Tartarum* crederes inferorum, ubi scelerati plectuntur manes, aut tragicam *Thyestis* domum, adeò varia illic tormenta, supplicia, cruciatus, centum patibula, nec pauciores *Ixionea* rotæ, secures, gladii, furcæ, funes apparebant; alius laqueo sibi vitam eripit; alteri aptantur compedes; alius percussorem exosculatur, & importunis precibus excitat ad accelerandas plagas; alius

alius ferro obvium, vultu hilari, offert corpus; *Socrates* etiamnum a *Xantippe* suâ vapulat; quid multa? quilibet suos patitur manes, & quô quis magis premitur, eô *felicior* & major à cæteris habetur. Mirabar sanè ferreum hominum genus, qui miserias istas & pœnas nihili facerent, sed intrepido vultu quosvis casus subirent: simúlque misertus durissimi infortunii, ô sancta, inquam, cœli numina, quid isti miseri perpetrârunt sceleris? quid indurata cerebra tanto dignum supplicio excogitare potuerunt? at verò

———— Quid volvere casus
Insignes pietate viros, tot adire labores,
Impulerit? ————

Nullane ergò vobis bonorum cura? nec variæ quicquam virtutes in adversam fortunam valent? an potius reliquos omnes intactos præteritis, ut in una horum capita geminentur pœnæ?

——— jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.

Hisce ob murmurantem dictis interpellat senex, et mitte, inquit, muliebrem miserationem; cave Deos incuses injustitiæ, falsamque illis culpam impingas: si autem, quos vides, non ferunt istas plagas, sed accersunt, sponte suâ miseri sunt,

Αὐτῶν μὲν σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλονται.

Quin &, hoc non exiguam *felicitatis* suæ partem statuunt, tum sese maximè *felices* credunt, cùm maximè sunt *miseri*. Vides illud macie et fame confectum corpus, is non minùs sibi applaudit quòd ventrem domuerit, quàm si totam *Asiam* devicisset. Is, qui variis involutus vestibus vix lacertos potest tegere, se credit regem esse; alter, cui famelicum marsupium ne obolum suppeditat in prandium, *Crœso* se ditiorem jurat. Quòd siquis fortè Deus vana eorum somnia vera redderet, & hunc regem, illum divitem faceret, næ illi indignarentur planè, quibus imaginaria, hîc

extorta

——————extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratissimus error.

Occurrit mihi tum lepidum *Plutarchi* dictum, quô *Stoïcos Philosophastros* irridebat: πλέσιος μὲν γέγονεν, ἐρανίζεται δὲ στροφὴν παρ' ἑτέρων. βασιλεὺς μὲν ἐςὶ, μισθὲ δ' ἀναλύσει συλλογισμὲς. Ita incedimus per medias vapulantium turmas, cùm nova statim sciscitandi ansa præbetur. Erant nonnulli unius habitus homines (sed prioribus *Stoïcis* nequaquam similes) qui mendicantium more obambulabant, & crebris se identidem verberibus macerabant; caput rasum erat, facies squalore perfusa, corpus tegebat cilicium, restis erat pro cingulo, pedibus nudis incedebant: ego spectrum aliquod verebar, adeò illi omnes larvæ et umbræ mortuorum videbantur. Tum *Cynicus*, sunt, ait, ex *Monachorum* grege qui se *Capuchinos* appellant, induratæ cutis homines, quibus unum opus est, scapulas flagellis excruciare; & summa voluptas, suas ostentare miserias; pecu-

niam contingere religio est, isto, quo vides, vestimento, sine famulitio, sine viatico; totas pererrant regiones, et in quem finem scilicet? * nempe ut aurem popularem captent, & evanidâ fucatæ sanctimoniæ famâ intumescant. Verùm, cùm in istam jam rem incidimus, enarrabo tibi novam *Stoïcorum* gentem. Accesserunt huc nuper è vestris novitii quidam, qui, cùm a reliquis familiis rejecti essent, in hæc sese castra contulerunt: non illi adeò paupertatis et ignominiæ cupidi sunt, imò lucrum ex qualibet re, quocunque modo congestum, non dedignantur; jejunia oderunt magis quàm fauces *Erebi*; injuriam leviusculam usque ad aras ulcisci student, tantum abest ut forti ferant animo, jactant tamen nuda nescio quæ persecutionis & tribulationis nomina; ludibrium populi, vulgi sterquilinium se haberi gloriantur; fatum, plusquam veteres illi *Stoïci*, crepant, id illis instar

* *Non omnes sumus istius modi. . . . . . quin eadem vestis tegit multos bonos viros inquit.* Conradus *in* Erasm. Francisc. πτωχοπλϑσ.

Scuti

Scuti Vulcanii est; siquis ex iis in adulterio deprehendatur, aut perjurii reus sistatur, coram judice inevitabili sese illud necessitatè perpetrâsse aiunt; homines censorio supercilio, et qui usque a cunabulis sapiunt; solos sese sapientes habent, solos *felices*, reliquos omnes *Terræ filios*, nec unquam ad *Elysios campos* emersuros; oculatissimi in alienis moribus censores, in suis talpâ cæciores. Tu verò, fili, (si sapis) caveas tibi, quantum potes, ab isto hominum genere; *Harpyæ* sunt; virginem primò, & placidum vultum, præ se ferunt, sed rapaces tandem ungues produnt; aliud semper illis in titulo, aliud in pyxide.

——— fronte politi
Astutam placido servant sub pectore vulpem.

Perpendi sedulò senis dicta, et, dispereant verò, inquam, male fidi *Sinones* isti, lucemque dehinc intueri vereantur, Et tu, *Phœbe pater*, me a dealbatis parietibus, fucatis professoribus, conserves incolumem. Jam variis sermonibus ali-

 quot

quot parasangas eramus prætergressi, cùm in mediâ, inter *Academiam* & *Stoam*, viâ occurrit *Lycéum Peripateticorum*. Locus amplus simul erat & amænus; campi tacitâ fluviorum alluvione rigati continuo flore virebant, & gramina sponte exurgentia a solis violentiâ defendebat arborum proceritas: ver perpetuum erat, & *Zephyrus* florum pater toto anno per virgulta leni errabat susurro; hîc *Musæ* sua agitabant choréas,

—junctaque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram pede quatiebant.

Affecit me mirum in modum loci suavitas, adeò ut non parùm solatii ex ipsâ aurâ persentirem; & aut hîc, inquam, quærenda est *felicitas*, aut frustrà alias terrarum perlustrabimus plagas. Nec me fefellit genius, continuò enim me deducit senex ad *Virtutis templum*; Templum erat ex marmore constructum, gemmis conspicuum, & pretiosissimis columnis suffultum: in superiori parte per gradus aliquot ascensus erat ad altare, cui lychni cerei lumen diei æmulum

mini-

ministrabunt; supra aram *Astræa alatâ* & quasi jam terris valedictura, omnesque virtutes suo singulæ ordine circumfusæ, ex ære fingebantur: hîc nonnulli, prono vultu strati, preces effundunt, alii sacra faciunt, alii cantu sancti numinis laudes celebrant: ego defixis oculis hæreo, nec minùs veneror sacrifices, quàm ipsi *Diam Virtutem*. Tum *Cynicus*, eccum istos mystas, inquit! an non veri sunt virtutis custodes & satellites? an non *summam* spirant *felicitatem*? Rectè sanè, si lingua non dissentiret a pectore, & virtutem, non solo tenus nomine, colerent: at, quod mihi toties commovit stomachum, alia plerisque facies, alius animus; quæ verò αὐταρκεία, cùm nemo sortem suam quietus ferat, sed ad ulteriorem quisque dignitatem, ad superiorem in Templo locum aspiret, & (quod majus est vitium) honorem non meritis suis, sed nummis, ambiat? nequit inflatum ambitione pectus intra limites suos cohibere; semper ad summa tendit, & inferiora quæque despicit; inde

inde pullulat avaritia & insana divitiarum sitis; hinc premuntur imbecilles, violantur leges, & nec ipsi *Lares* ab injuriis tuti sunt; æquum an iniquum sit, quod satagunt, nihili refert, modò in rem suam faciat. Quæ illi *felicitas*, cui pectus invidia, sicuti *Tityi jecur* apud inferos vultur, noctu atque interdiu corrodit? qui nunquam lætatur, nisi cùm alienam videt miseriam? qui alterius fortunas non alio vultu accipit quàm jacturam suam? cui statutum est, etiam amico inferre injuriam potius, quam ne lædat adversarium? quòd si vexari, ringi, nequis evadat superior, timere, *summum bonum* dici mereatur, valeat per me *felicitas*;

——————*horum*

Semper ego optarem pauperrimus esse bonorum.

Quid alios referam? *Philosophi* Naturæ cursum scrutantur, interim nesciunt quid Natura requirat; ignari *Astronomi*, dum coelum metiuntur, mentem commensurare nequeunt; *Medici* herbarum vires

vires in medicamenta explorant, animum languentem ne curant quidem; *Grammatici* circa ſermones verſantur, & ſi forte incognitam aliquam Etymologiam inveniunt, mirâ ſibi titillatione applaudunt; *Critici* in alienis operibus deſudant, ſua non agnoſcunt vitia. Et quis, quæſo, jam *beatus* habebitur? Ego, cùm me ſpe decidiſſe cernerem, credebam enim ſeni seriò loquenti, quanquam nonnihil dubitabam *pus*, *Cynicum*, quas tandem, inquam, terras pererrabimus, ut *felicitatem* reperiamus? quos caſus poſuerunt Dii? quæ ſaxa? quæ itinera, antequam fugientem *Ithacam* attingere liceat? Tum ille, ſiſte verò, inquit, pedem & querelam, fruſtrà alias oras inveſtigabis, *beatæ inſulæ*, incognitæ hactenus, & nulli unquam mortalium premendæ, reſtant; inanem, ſi pergas, pones operam, niſi malis ad infimas ædes deſcendere (quò mihi nunc feſtinandum eſt) quod tamen periculo tuo feceris: nec plura, gradum promovet ſolito ocyorem, ego ſequor libens certus quoſ-

quosvis labores tentare, dummodò, exacto itinere, voti tandem mei compos fierem: nec longa nos moratur via (adeò proclivis *Averni* descensus) quin campi se procul aperiunt latè patentes, & murmur auditum quasi æstuantis aquæ; stagnum deinde ingens & ripa apparebat, in quâ ibat hinc inde numerosum agmen. Juvabat infelices *umbrarum* notare catervas, simúlque causam ex comite quærebam, cur aliæ illic in campis querulæ vagarentur; aliæ verò, quibus nec æqua virtute faveret, nec fortuna, transmitterentur. Ille verò, *Charontem* appropinquantem & ad ripas admoventē videns, vultum despicabundus avertit & in cymbam desiliit; ego, ne in locis incognitis oberrarem, sequor comitem, eique immobilis adhæreo. Cùm jam plenum esset navigium, & portitor ille remos moveret, nec quicquam promovere poterat (quippe humani corporis pondus obstaculo erat) observat singulos torvâ facie, meditabundus quid in causâ esset quô minùs solito cursu lacum transmearet;

aret; tandem ubi ad me devenit, mihi autem

——————*per dura cucurrit*
Ossa tremor, gelidusque coït formidine sanguis.

Tun' verò, inquit, ausis sine ramo nostram cymbam intrare? Tune istas inhumatus aquas enatare speras, arcana forsan olim imperii nostri proditurus? simúlque librata à summo capite manu, medius fidius jam periisti, inquit; Ego, dum ictum declinare cogor, subitò (quod in turbulentis somniis fieri solet) expergiscor, haud leviter iratus me optato itinere, et lepidissimo comite privatum esse.

At ubi ego jam terrarum sum? an inanes me adhuc tenent *umbra*? an potius in medio *Musarum* choro versor? ita certè est, agnosco cœtum Academicum, simúlque pœnitet graviores aures *somnio* elusisse; atque utinam aut *somniarem* etiamnùm, aut ab initio *vigilassem*! sed nec præterita revocare sapientis est; nec constantis vestram captare benevolentiam:

lentiam: Date ſaltem veniam, Viri, tenui labori; et, qui dramata toties acta toties repetita, æquo ſoletis animo accipere, jam novam vobis in ſcenam proferri fabulam ne indignemini. Non deprecatur ſimplex *Muſa* ſententias veſtras; ſatis illa ſibi candoris ſui conſcia eſt, nec vel lævam ſuſpicatur interpretationem, niſi fortè adſint in tantâ candidorum frequentiâ maligni obtrectatores, qui, ſi orationem noſtram ad ſupplicium ſuum detorquere auſint, agnoſcant priùs ſe meruiſſe, quas metuunt, pœnas, et, cùm ſuſpicionem fruſtrà tandem eſſe viderint, vel inviti nobis ingenuitatis palmam ſancitam dabunt. Quod ſi benignior mihi adſpiret judicii veſtri aura, quam temerè *ſomnians* quæſivi, *felicitatem in vigiliis* me nunc inveniſſe profitebor.

* Vos, meæ deliciæ, agnoſcite ſummum patris amorem, qui veſtri gratiâ delirare non dubitavit; Vobis ego hoc *ſomniavi ſomnium* —— *vos propter eoſdem*

* *Filios alloquitur.*

Ex-

Exstinctus pudor, & quâ solâ sidera adibam
Fama prior ———————

Siquis prolixiùs hujus fabulæ ἐπιμύθιον expectet, quod ad mores vestros efformandos mentemque excolendam faciat, meritò audiet illud Comicorum, *Meliùs hæc omnia intus transigentur.* Et jam etiam orationem in tantam excrevisse molem sentio, ut languentes auditorum animos diutiùs detinere verear; Vestræ jam succedunt voces, vos quod in viribus situm est, agitote.

Subject. * *Novitii & absurdè authores.*

Dii vostram fidem! qualis huc irrepsit putidissimorum authorū farrago! Subvenite populares; cavete ne inficiatur tantâ contagione *Academia*; Et tu, *Apollo parens*, succurras ocyùs gregi tuo, & *Pythonem* istum virulentum sagittis purioribus confodias.

* *Quos permissum erat juvenibus hisce aut ineptos sarcasmis affligere, aut insulsos sale ingenii conspergere. Intereà sedet attentus Pater & silet, nisi forte effrenata Satyri cujuspiam licentia censurâ egeat, aut verbi moderamine.*

At

At unicum interim hoc ex te lubet quærere, mi primogenite; Cùm iſti omnes nova quædam et inaudita priſcis ſeculis protulerunt, quid tandem reſtat quod nondum repertum eſt?

Reſp: Ευδαίμων *Ariſtotelicus.*

Quod ſupereſt, Vos denuò exorandi eſtis, *Academici*, ut palæſtram noſtram candore veſtro exornare dignemini; ut *patris ſomnium*, *filiorum nugas*, æquo & benigno vultu accipiatis. Non adeò veſtrum deperimus applauſum, ut longis eum precibus impetrare ſtudeamus; neç eò diffidentiæ ventum, ut ſummi *Jovis* cauſâ mendicare cogamur: tantùm ſi ſperare nobis liceat quod optamus maximè, qui ludicra et puerilia tractantes audiviſtis, ad ſeria forſan olim, alacriori animo ſuſcipienda, excitabitis.



LUDIO
Paræneticus.



Ideor mihi nunquam ſatis mirari poſſe inſulſum illud, prolatum nuper,& intempeſtivum χαῖρε, quòd non citiùs haſce introivit ædes * *caduceatus* iſte *Mercurius*, noſtrum ante-ambulo, quin ſe, elatâ voce, *Matri Academiæ BONA NOVA* attuliſſe exclamavit; quaſi idem prorſùs ei contigiſſet, quod *Latonæ* olim *Dianam* pariturę, quam ſine dolore ferunt filiam ſuam in utero geſtâſſe, & ſine

* *Accenſorum unus (quos Academiæ Bedellos nominamus) ad ſcholarũ limina, nobis intrantibus, Clarâ voce pronunciat,* Bona Nova! Mater Academia, Bona Nova!

ſine ſenſu pariter in lucem edidiſſe; quòd ſiquis veſtrum varias *prægnantis Academiæ* curas, ad juſtum tandem *quadriennium* protractas; diurna ſiquis numeret diſcrimina, nocturnas vigilias; ſiquis denique *quatriduanas*, dudum parturientis, anguſtias revolvat animo; ab eodem ſanè *Alma Mater* partus ſui ἀναισθησίαν aliquam minimè omnium paſſa cenſeatur. Gratulari ergo numeroſam adeò enixæ prolem, haud abortivam, et potuit ille, & nos omnes gratulamur; ut *novum* autem, & inauditum, alicui veſtrum jactare, tantùm peperiſſe, quid aliud eſt, quàm aut ſatis fœcundam incuriæ, aut effœtam omninò, & in ætatis flexu poſitam, quantumvis nunc fortuitò parientem, ſterilitatis incuſare. Nec tamen huc conſcendi, Academici, ut antiquum hunc, & jam verè paſſivum morem, acriori poſſem Stylo perſtringere, aut per tot annorum ſeries receptam ſalutandi legem unico ſperem momento abrogare; hæc ideò tantùm præmiſſa arbitremini, ne quod à majoribus

ribus noſtris, ſummo conſilio, ratione ſummâ, conſtitutum ſentio, in tranſverſum rapiat maleſanus aliquis; imò etiam ne quod hodie eſt dictum bene, ſit malè intellectum. Sciatis ergo, florentiſſimi Academici, nec intereà tamen ſuſpicari poſſum me loqui neſcientibus, gemella hæc, *B O N A* et *N O V A*, non eſſe *Mercurii hujus Matrem Academiam*, alto quaſi ſomno conſopitam, excitantis; ſed noſtrum omnium, unius ore, præconis publici vicem ſubeuntis, proletariam ei felicitatem gratulantium, eamque explicantium lætitiam, quæ tanta eſt ut exilire geſtiat, nec patitur ſe intra arctiora anguſti pectoris clauſtra contineri. Quin abeat ergo ſeverus ille, contracto ſupercilio, obductâ fronte, ſiquis huc ſe ingeſſit, *Cato*; cui ego non ſum dictus illud, quod proverbio olim jactatum fuit in tetricos nimis & ἀγέλαςυς, Ἀκαδημίηθεν ἥκεις, *Ab Academiâ veniſti*. *Ab Academiâ*, dicam, *diſcedas* potiùs, nec importunè noſtras turbes delicias, dimque hunc intempeſtivâ aliquâ gravitate

tate obnubiles, *Serenitatis Divæ*, *Lubentinæ* ſcilicet *Veneri* conſecratum. Nullum hîc *Heraclitum* hodie expectamus redivivum, nullum exoptamus *Anaxagoram*, quem per totum vitæ decurſum riſiſſe nunquam, immotum aiunt & conſtantem nimis vultum habuiſſe. Non olim hoc poſtulavit illa *Romanorum Religio*, quæ *Vitulinam* habuit & *Lubentiam*, binas lætitiæ præſides; non *Græcorum* iſta, qui *Riſui* etiam, in *Deos* relato, feſtum diem, ludos annuos, & ſolemnia ſimul ſacra decrevere. Quid *Theſſalos* loquar, θεοῦ γέλωτος veneratione inſignes? Quid *Lycurgum* ipſum, ſeveræ quamvis & rigidæ ſatis, authorem diſciplinæ qui *Deo Riſui* marmoreum ſimulachrum in *Spartano* dicitur delubro poſuiſſe Quis magno illo *Platone* divinior? at e cùm ad humana deſcendit, non tan tùm conſperſa leviter, ſed condita pro ſùs, ſale convivia. Quis caſtior *Ariſtotele* at cui tamen hinc inde commiſtam *Ven rem* invidemus fortè, minimè exprobr mus. At nefas ſentio, præſertim mih

ha

hanc a vobis, loquendi ſaltem, libertatem implorare, quam, ſi *Romano* vivitur *more*, *trium* tantùm *liberorum jus* meritò ſibi arrogare audeat, eorum pluſquam duplicatus numerus vel mihi vindicare poterit, vel vobis, licèt invitis, rapere. Quin habeam hanc facultatem mihi conceſſam ritè, vel utcunque impetratam, audire videor, Parùm convenit *Paterno muneri* infantilis levitas, minùs adhuc *Artium magiſterio*, & minimè omnium ita celebris ac ſolemnis futilitas locò *Divæ Aſtrææ* ſacro, ſeriis tantùm utriuſque juris controverſiis deſtinato; imò, quod ille olim Magiſtratus nempe & viros graves a ludis levioribus coercendos cenſuit, ne cum illis Reſpublica ludere videatur; idem nobis cavendum judicant, verendum idem, ne noſtrum forte ludente aliquo, ipſa etiam luderet *Academia*. Sed hæc ſiniſtrâ tantùm aure capio, aliud mihi, & diverſum longè, dextra ſuggerit. En quos illic aſtantes video Patrem filios imbuentem conſiliis, ſeriis ſcilicet & ſanis, deriſuros ultrò,

 trò,

trò, & tantùm non ſibilis excepturos! In dubio hæret Paternus animus, utris nempe placere ſtudeat, cùm utriſque nequeat. Illud mihi video contigiſſe quod agaſoni cuidam aſinum ducenti; narrabo fabulam lepidam ſatis, &, quibus non audita priùs, admodum jucundam.

Adibat, inquam, agaſo aliquis, unà cum filio, emporium publicum, aſinum venditurus, qui multùm, metuens, ne ſi ipſe, vel filius, aſino inſideret, is feſſus viæ & ponderis moleſtiâ minoris veniret, pedes ibat, ſiniſtrâ filium, dextrâ ducens venalem aſinum, ſarcinâ carentem; cùm verò eo nomine ab obviantibus ſatis lautè rideretur, quòd beſtiæ, ſcilicet ad labores natæ, parcere ſtuduiſſet, primò filium aſino impoſuit, is, ut decuit amantem patrem, à tergo ſequebatur: vix viæ aliquantum progreſſus, ab aliis fatui nomine ſalutatur, quòd ſenex ipſe, ac pannis involutus, titubante greſſu iter faceret, puerum, firmis ire pedibus potentem, & ſatis expe-

expeditum, aſino anteduceret; jubet protinus puerum deſcendere, clitellarium ipſe conſcendit aſinum; nec multum hic itineris confecerat, quin denſo reſpicit ſequentes agmine, qui

Ingeminant tremulos naſo criſpante cachinnos,

quòd cùm, adjuncto puero, uterque ſimul aſello vehi commodiſſimè potuiſſet, illum pedibus ire pateretur; quibus ſe ſatisfacturum ſperans, tollit puerum, & advertenti præbet populi frequentiæ ſatis amplè onuſtum aſinum; vix autem oppidum intrârat, cùm, protenſo digitorum indicio, mox plauſu manuum, ſublato dein clamore, hoſpitem undique inceſſerunt. O ſenem delirum! O aſellum miſerrímum! ſub tantâ ſarcinâ illicò ruiturum. Tantum eſt, pueri illum lapidibus inſectati aſinum concitârunt, is ita ultra modum moremve provocatus, utrumque dominum in lutum excuſſos, ter, pro formâ, petitos calcibus, labriſque cœno pulchrè notatis, ter, ut priùs criſſante caudâ civiliter ab-

 ſterſos,

ſterſos, valere juſſit, & levatus onere feſtinantiùs diſceſſit.

Habetis fabulam, utinam non de me, & meis hiſce filiis, narratam, quibus vereor nec ſingulis licebit, nedum junctis, ſine veſtro nonnullorum cachinno, aſino inſidere. Quòd ſi fortè nullam patris confecti ſenio rationem eſſe adhibendam ſenſeritis; at filiis ſaltem ætatulam ſuam, tenellam adhuc, id a vobis obtinere patiamini, ut eorum ſingulis, alternâ vice, aſinum, tantùm riſu venalem, liceat conſcendere, &, quod poſſunt maximum, pretium aucupari. Nec veſtrorum tantùm anteceſſorum exemplo, quos putetis interim pronioris affectus, & nimiùm facilis reos indulgentiæ, coacti potiùs, quàm invitati, videamini hoc, quicquid fuerit, licentiæ daturi, quam olim plurimis, alibi gentium, permiſſam legimus, & abſque omni dedecoris notâ, plenâ quaſi manu, impertitam. Inolevit enim hæc *Hilariorum* feſtivitas in *Mercurialibus* apud *Cretenſes*, *Sacea* feſto apud *Babylonios*, *Peloriis* apud *Theſſa-*

los,

los, Saturnalibus apud *Romanos*, ut & *Nuptialibus*, & quidni etiam apud nos eadem suâ celebritate perfruatur annuis hisce nostratium *Natalitiis*? Taceo hîc solemnem illam exercitationem scommatum apud *Lacedæmonios*, à *Lycurgo* institutam; γεφυρισμὸν ipsis etiam *Athenis* observatum, ubi, in festo *Choûm Lenæîsque*, comessantes, vecti curribus, & deridebant obvios, necnon conviciis provocabant; eousque hac in re prorupit quondam & *Socratis* illud, et ipsius etiam *Ciceronis*, ingenium, ut ille *Atticus*, hic itidem *Consularis*, *Scurra* publicè diceretur. At nobis tantùm ingenua placet & literata lætitia; dicteria omnia, lascivam omnem scurrilitatem amolimur, quam tamen si nostrum aliquis inexpectatò hodie concipiat animo, & lubricâ linguæ incontinentiâ, parùm tempestivè, effutiat, putetis obsecro, humanissimi Auditores, quod de suis *Ximenius* ille, *Complutensis* nempe *Academiæ* fundator, *Scholæ id esse ebullientis spumam, suum ilicò fervorem repressuram.*

Antoni-

Antonius Panormita, Dilectissima mea & pulcherrima progenies, suavis admodum & facetus vir, interrogatus olim, ad rem uxoriam jucundè satis & concorditer agendam quibus maximè opus esse futurum duceret, duobus respondit, *Vir ut aurium surditate teneretur*, *Uxor* autem *oculorum cæcitate*; ne scilicet maritum hæc intemperanter plurima agentem conspiceret; ne uxorem ille rixantem audiret, & assiduò gannientem. Cùm meipsum pariter *Patrem* undique salutatum audio, nec memini me aliam aliquam *uxorem* duxisse; quàm, quæ vestra cluet *Mater*, *Academiam*; quô felix faustumque magis in posterum fiat hoc nostrum, qualecunque, conjugium, nemini scelus & flagitium, minimè expiandum, videatur, si hodiernam ei coecitatem imprecarer, si mihi ipsi crastinam surditatem: quàm enim vellem, ut nec illa me vobiscum hodie agentem levi-

* *Ab assistentibus ad Filios conversus Pater suam Parænesin aggreditur.*

leviter,&,infrà quàm quod Paterna gravitas pati debeat, ludentem conſpicetur; nec ego illam in utramque aurem cras & perendiè audiam detonantem: Utcunque fuerit, quod jam anteà *Epicurus* dicitur uni ex ſtudiorum conſortibus ſcripſiſſe, idem ego veſtrum cuivis dicturus ſedeo, *Hæc non multis, ſed tibi, Sat enim magnum alter alteri theatrum ſumus.*

Moris erat apud *Romanos*, conſtituto die filios profiteri, & Actis publicis nomina inſerere: Utrumque me pro ſolito noſtro, non longè ab illorum diverſo, in ampliſſimo hoc hodierno conventu, facturum ſenſi, et feciſſem fortè, niſi quòd me jamtandem memini vos omnes huc *anonymos* adduxiſſe. Id ergo mihi incumbit primò, ut unicuique veſtrum votivum aliquod, & ab oſcine acceptum, *nomen* imponerem; res quippe non ſine delectu aliquo, et futuræ veſtræ conditionis auſpicio, temerè obeunda: Quòd ſi ergò omnes futuri eſtis

Theologi,

Theologi, *Theophrastos* par eſt, aut *Chryoſtomos*, nominarem; ſin *medici*, junctis ominibus, *Hippocrato-Galenos*; ſin autem fortè *Conſulti Juris*, ne erroris cujuſquam rei teneamur, quod in Jure eſſe periculoſum nôſtis, dicerem *Codico-Baldo-Bartholo-Pandectas.* Nec me primum invaſit hæc qualiſcunque *neminis* imponendi religio, aut, ſi malitis anxia & ſolicita ſuperſtitio; nam ſcriptum reperi de neſcio quo, filios ſuos præſtantes ſcilicet *Juriſperitos* evadere cupiente, quod uni *Bartholus*, alteri *Baldus*, nomen indidit, tertium autem, cùm in foro *Codicem* ſæpe citatum audiviſſet, & hoc maximi alicujus Juris interpretis vocabulum arbitratus, *Codicem* appellavit: Amplector omen, et filium meum natu maximum, quem non tantùm peritum juris futurum autumo, ſed literaturæ omnis ſtatuo candidatum, non ſimplici auſpicio, *CodicEM*, ſed, impacto numero, *CodicES* potiùs dictum volo, hoc eſt ſcilicet, *Bibliothecam* ambulantem: Cæteros omnes, quos uno

uno est enixa partu *Mater Academia*; et uno velim signatos nomine, eo nempe quod ridiculum Caput opportunè mihi obtulisse videatur; Nam dum *Jason* aliquis, magni nominis inter Jurisconsultos, de superiore loco *Papiæ* prælegeret, multisque accersitis authoribus subjiceret, *Et Alexander ab Imola, ac Sequaces*, quæsivit quidam ex assidente sibi, quis ille *Sequaces* esset, quem Prælector nominavit, putavit quippe ex *Glossatoribus* unum hoc nomine appellatum; felix error! quem ego, quamvis risu olim & cachinnis exceptum, lubens sequor; Te ergo, mi primogenite, *Codices* appellabo; reliquos omnes, quos et juxtà literatos tandem futuros spero, tui *Sequaces* dictos volo. Jam autem, cùm filios habeo auspicatis adeo nominibus exornatos, hæc est mihi secunda cura, ut dimittam sanis instructos consiliis, & contra omnem sævientis Fortunæ impetum abundè præmunitos.

Misce stultitiam consiliis brevem,

cecinit olim *Poëta Venusinus*; a quo nisi tem-

tempestivè admodum fuissem monitus, ego certe seriò eram, &, quàm potui, sapienter omnia vobis consulturus; nunc autem aliud longè paterni affectus habeatis pignus; *Senecæ* mei utor sententiâ, &, quicquid aliis videatur, *haud turpe duco cum re* (præsertim hodiernâ) *consilium mutare*, ut & vobis mutandi ansam, facto æquè ac verbis, administrem.

Ea quippe, quæ conatu tanto, tantis sudoribus, ab ineunte ætate didicistis, jam tandem esse abjicienda protinùs, &, quàm potestis primùm, dediscenda præcipio. Sciatis enim vos pullos esse verè aquilinos, ad *Solem Academicum* jam *quatriduò* exploratos, quibus supra nubes volandum est, nec in imâ hac scientiarium vulgarium septicolli valle (ab *oxymoro* mihi non metuo) muscas capiendum.

De *Grammaticâ* primùm, præsertim *Græcâ*, jam olim spero fuisse conclamatum; siquas autem *Latinæ* reliquias coacta memoria invitas detinuerit, quod pictor ille apud *Ælianum*, *Homerum*, scilicet

ſcilicet Poetarum patrem, vomentem pinxit, reliquos Poëtas illius vomitum avidiùs elambentes, vobis meritò imitandum propono; hauſtâ nempe generoſiſſimi vini, primo præſertim mane, amyſtide, eluatis omnes, & jejunioris ſtomachi, crudioriſve potiùs eruditionis, tyrunculis abliguriendas relinquatis.

Nec eſt, filii, cur, ſi res et occaſio poſtulaverit, jacturam hanc nullo modo, arte nullâ, reparandam vereamini, quæ cùm multis reſarciri poſſit, eâ optimè quam non niſi Magiſter artis, & Latinæ linguæ perpetuus Dictator futurus *Cicero*, exercuiſſe dicitur; Nam cùm *Pompeius Magnus* doctiſſimos *Vrbis Romanæ* viros ſuper hoc conſuluit, *Utrum in Æde Victoriæ Tertiò*, *an Tertiùm Conſul* incidi debuerit, ut, diſſentientibus, iis adierit *Ciceronem*; ille, ne hos vel illos videretur improbâſſe, ſuaſit *Pompeio*, ut, omiſſâ terminatione omni, triviali re, nec tanti æſtimandâ, brevitatis ergo, *TERT.* ſcriberetur: Pariter & vos, ſi Latinè fortè ſcribendum

dum fuerit, &, ex præscripto meo, vobis abfuerit puerile illud, quod *Grammaticam* vocant; si verba solùm quadrante defecerint, scribatis, velim (ut loqui solent, haud omninò irrito conatu; infantiles artifices, quibus licet gestu perficere quod voce nequeunt) verba *tertiata*. Sed & alia adhuc tentanda est, quæ vobis etiam, Latinè locuturis, poterit inservire. Id ego tacitè cuivis vestrum, & in aurem dico; Periculosum esse æstate mediâ Latinè fabulari; sin autem hyeme imperfectas voces & defectivas proferatis, juretis liquidò a vobis integrè prolata omnia, at quartâ parte ab intemperie hyberni frigoris esse congelata: Res certè utcunque vulgo & fœci hominum minimè probanda, à doctis tamen, & in naturâ rerum exercitatis, optimè intellecta, ut explorata: nam majus est quod eorum nonnulli scriptum reliquerunt, *Antiphanem* quendam, unum è familiaribus *Platonis*, dicere solitum; In quadam *Scytharum* regione tantam esse frigoris hyberni

berni sævitiam, ut vel ipsa verba ore prolata in medio aëre tota congelascerent, nec, priusquam æstatis calore dissolvantur, audiri posse, nedum intelligi: Quòd si vobis nonnulla vocabula ex toto (ut aiunt) & integro defuerint locuturis, fingatis nova, ad placitum vestrum, &, satis pro imperio, linguæ *Romanæ* inserenda, delectu quorum perculsis adversariis, aliqua inde tantorum nominum dimissa fuerit in populos notitia. Sic, apud *Ciceronem*, cùm Orator quidam *Supputatilica* protulisset, adversarius verbi novitate attonitus, *Supputa*, inquit, ô Judices, quid sit scio *Tilica* verò nescio, ex eo autem insidiæ verendæ. Hæc de *Grammaticâ*.

De *Rhetoricâ* quicquid sit quod retineri debeat, est unica *Ironia*, idque eò ut quod falsò fuerit, aut incongruè, dictum, quacunque in re ab artis cujuspiam, imò & morum, regulis recessum, *Ironicè* dictum, & factum, fateamini.

Dialectica ars est, ad canes scilicet venaticos releganda, a quorum instinctu

aut acquirendam homini exercitatricem Rationem, aut perficiendam eam quam connatam habeat, agnoſcere dedignemini.

In *Ethicâ*, ſiquem omninò progreſſum feceritis (de ſpeculativâ loquor, nam ſpero vos aut non tentâſſe practicam, aut rariùs attigiſſe) ob id unum ſeria eſt agenda pœnitentia, quippe ad quam ἀνίπτοις, quod aiunt, χερσὶν, &, ex ipſius Philoſophi ſententiâ, inidonei prorſùs auditores acceſſiſtis.

Naturalis Philoſophia, vel ipſius nominis inauſpicati gratiâ, eſt meritò reſpuenda, ne parùm ſcilicet ſapientes habeamini, &, ut noſtro loquimur idiomate, *merè naturales*: nec certè aliter fieri poſſit, quàm *vanâ* hac *Philoſophiâ* abdicatâ, ut puri puti facti Theologi, ad *Novam Angliam*, Angelicis illic concionaturi animis, ſitis promovendi.

Cùm eſtis tandem a moleſtâ harum, aliarumque artium, ſcientiarumve, ſarcinâ liberati, quodcunque fuerit in *Theologiâ* maximè reconditum, quod in

in *Medicinâ* desperatum, quod in *Jurisperitiâ* clamosiùs controversum, &, vix tandem facto silentio, minimè definitum, illud primum, nullis freti harum doctrinarum principiis, nullis omninò præcognitis instructi, audacter admodum, & consternato parùm animo, vultuve, volo, aggrediamini. De *Primo Ente*, quid præcisè sit, quid etiam secum ante jacta Mundi fundamenta decreverit, non aliter vos pronunciare jubeo, quàm illi olim singula nempe fila monstraturi rudentum omnium istius navis quam *Myrmecides* fabricatus est, apiculâ contectam.

De febre, illo Medicorum ludibrio, qui præsentia haud promittunt remedia, apud vos, Filii, aut ἀνίατροι, aut ἀντιάτρευτοι, nec *Medici*, nec ipsi *Medicabiles*, habeantur.

Quod ad infinita attinet *Juris Civilis* ἀντίθετα, quæ in *Codice* quondam *Triboniani* inertia, si non invidia potiùs, dicitur peperisse, nullo negotio componatis omnia, & in *Æde Concordiæ*

Justiniani Imperatoris *Manibus* consecretis. Eadenique sit cujusque vestrum cum peritiâ summâ juncta singularis modestia, ut vos illud scire, & tantùm illud fateamini, *nescire nihil.* Hujus adeò Catholicæ scientiæ siqua apud imperitum vulgus, & credulum nimis, sit ratio adhibenda; si res fuerit ad calculos revocanda, quod facto vos præstituros diffiditis, subtili ingenio & lepidis illud facetiis sufficiatis. Profuit hoc *Vati* haud ignobili artificium, & ad summum honoris fastigium extulit, præsentis animi opportuna audacia, qui cùm apud credulam plebem se montem quendam, stupendæ magnitudinis, voce tantùm loco-moturum jactitâsset, ejusque prodigii solicitâ expectatione concitatâ infinita propè populorum undique irruentium turba in unum confluxisset; Is monte ter advocato, ubi surdum esse & immotum conspexerit, parùm certè, aut nihil, attonitus, dicitur exclamasse; *Si mons ad Mahometen venire nolit, Mahometes ibit ad montem*; idque eum, ridente

dente magis, quàm exprobrante, populo, aiunt præstitisse.

Unum restat de consortio monendum. Nolite vos, quod ambiunt nonnulli, in quacunque arte peritissimis conversari, sed ignaris prorsùs & maximè imperitis; sic enim estis, per quandam quasi ἀντιπερίστασιν scientiæ, singulis colloquiis ad minimum duplo doctiores evasuri.

Cùm pulchrè adeò inverso ordine, & retextâ methodo, ab ultimâ usque literaturæ metâ Academicæ ad carceres tandem regressi fueritis, me certè judice, honoris ergo et præmii, non nisi summo *Porphyrianæ arboris* ramo, *in effigie* saltem, suspensi, insigne eritis doctrinæ stadium percussuris spectaculum, dignum, fortè quod *Diogenes Cynicus*, cùm fœminas quasdam miserè suffocatas in olivâ arbore pendentes viderit, *O utinam possem & reliquas arbores istiusmodi fructu onustas conspicari.*

Sic lusit Pater; Sunt & filiis suæ vices subeundæ pariter suaviludiis, à quibus hodie litandum *Gratiis* et *Veneri Genia*-

niali: nec enim illud mihi ultrà sentio superesse, quod ab Hebræis Patribus factum meminerunt, eos infantium suorum corpora sale multo asspergere consuevisse. Tantum est:

Strigosos nolo aut elumbes jocos, sed, quod veteres in suis *Nuptiis*, idem vos in vestris hisce *Natalitiis* faciatis, *Mercurium* juxta *Venerem* collocârunt.

Mordaces absint & aculeatæ facetiæ, non enim hîc *Clementem septimum* expectamus redivivum, qui *sinapi* delectetur.

Aniles omnes, & exoletas, est cur vestro periculo caveatis: Nam *Zeuxim* aiunt, cùm ridentem anum ad vivum pinxerat, conspecto opere, aliis negligentibus, præ risu nimio animam exspirâsse.

Accedat tantùm subtili venustate, & ingenuâ simul urbanitate, vestita, pileo donatis digna, eruditio; ne *Deo Risui* minimè omnium sacrificare videamini, sed *Derisui* potius ipsi sitis futuri sacrificia.

Summa

Summa est paternæ paræneseωs, *Seneca* verbis parùm immutatis;

Concesso, juvenes, ludite jurgio;
Concessa innocuis mittite scommata;
Rara est in dominos ista licentia.

Dixi.

Postquam Juvenes se jocando &
Prævaricando aliquantisper exercuerint,
Celebritatem paucis absolvit Pater,
Et filios reducit.

INolevit mos apud antiquos, *Puerperarum* ædibus coronas prætendere; si *masculo* auctæ fuerint, *oleaginam*; sin *famellâ*, *laneam*: cujus cùm jamprimùm meminerim, & * singulorum capiti appensam *laneam* quasi *coronam* conspexerim, verebar certè me non hodie *filios* mecum, ut eram pollicitus,

* *Ritu Academico.*

 sed

ſed, quod præter morem et modeſtiam fuiſſet, *filiOS* potiùs, coram vobis ludentes præbuiſſe: rem tandem reperi; Adduxi *maſculos*, quos tamen vidi, favoris veſtri captandi cauſâ, in *fæminas*, hoc eſt, *Veneres* converſos; quas quoniam ſuaviter adeò deoſculati eſtis, & manibus amplexi, cum Patre ſuo, habetis iterum in *Gratias* transformatos; Veſtrum, veſtrum eſt, ſpectatiſſimi Academici, & has æquis animis excipere, &, quod *Amphitryonius ille Jupiter* apud Comicum.

Si quid hodie dictum eſt per jocum,
Non æquum eſt id vos ſeriò prævortier.

Dixi.

Adverſus



Adversus *Rhetoras formularios*, cùm *Senecæ Troada* aperuit *Cantabrigiæ*.

Ornatissimi Juvenes, &, spe saltem, pubes oratoria,

QUotiescunque ego umbram hujus suscepti muneris, & nomen tantùm, *Rhetorices* nempe *Prælecturam*, considero, sive illud ipsius rei naturâ flagitante, sive animo nostro perfectionem nimiam, nimiam quandam ἀκρίβειαν, ambiente, à me toties soleo postulare, & irato mihi extorquere vellem, quod in ante decurso, vel vitæ, vel

vel melioris literaturæ, curriculo, nec ipse me, ne mediocriter, novi præstare potuisse, nec ab alio quopiam de me unquam memini expectari: Quantumvis enim id poterit quispiam, orator aliàs probatus parùm, non invenusto verborum instructus artificio, fucato aliquo orationis nitore perstringere aures, præsertim minùs exercitatas, audientium, si tamen quoddam magisterium artis, & dictaturam, sibi audeat arrogare, si sublimem adeò regnantis *Eloquentiæ* cathedram conscendere, nisi habeat secum perpensa omnia, & ad amussim tum veteris, tum novæ simul, *Rhetorices* exarata; nisi eadem ad cujusvis ferè sensum accommodata; quid aliud agit quàm se cuivis, etiam de plebe, differt excipiendum pipulo, ludibriis cumulandum? Quò magis vereor, ne, ut *Galba* olim cantherius in portâ, ita ego in ipso operis, nondum inchoati, primo cogar limine deficere; aut, cum totius artis *Rhetoricæ* dispendio, novum aliquod, & vobis fortè anteà inauditum, ignorantiæ

rantiæ meæ velum obtendere. Nec interea loci (lectissimi Juvenes) quod, *Strabone* olim, & *Messalâ*, Consulibus, a Senatu. *M. Pomponio* Prætori commissum legimus, de exigendis urbe *Rhetoribus* cogitamus; at, quod aliquot deinde annis, *Domitius Ænobarbus*, & *Licinius Crassus*, Censores, edicto publico curârunt, de eis saltem coërcendis consulimus. *Renunciatum est nobis*, (sunt ipsissima Edicti verba apud *Gellium*) *esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos juventus in ludum conveniat: Eos sibi nomen imposuisse* Latinos Rhetoras: *Ibi homines adulescentulos dies totos desidere.* Et interjectis nonnullis. *Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem majorum fiunt, neque placent, neque recta videntur.* Utinam nobis, eâdem libertate, dummodo pari authoritate suffultum, in hodiernos *Rhetoras*, (proh dolor!) non jam *novos* appellandos, sed *vetustate* nimiâ efferentes sese, & incautæ admodum juventuti imponentes, edictum quoddam liceat præ-

scribere

ſcribere; aut eos apud facundum Judicem, & literatorum omnium ſuffragiis comprobatum, æquum eloquentiæ arbitrum, incuſare. An *ars* eſſet, quæ dicitur *Rhetorice*, variè fuit, & in utramque partem, à veteribus diſputatum; Negantes prorſùs ſperabant ſe *Platonem* eſſe patronum habituros, in cujus *Gorgiâ* maluit *Socrates* eandem tantùm κολακείας μόριον, & ἐμπειρίαν potiùs quàm τέχνην, nominare; quòd ſive ipſe divinus Philoſophus, ſeu neſcio quis in *Socrate* perſonatus, putetur ſuam ſententiam adumbrâſſe, *Platone* magno non minor *Ariſtoteles* in *Rhetoricis* ſuis (niſi malitis authorem *Theodecten*) eandem multis ſatagit refutare; quem tamen audio hanc artem ſuam non circa proprium aliquod & definitum genus; ſed incertum verſari, ſatis quidem ingenuè confitentem; quaſi illius vitâ defuncti ſepulchro (non, ut fertur, *Deodoti Rhetoris*) lapideum corvum *Marcus Cicero* inſculpi imperâſſet, & inſcribi illud, *volare docuit, non orare*. Ariſtoteles

teles. *Chrysippus* maluit *scientiam* dicendi, quàm *artem*, nominari; *usum Critolaus*; alii *facultatem*; *potestatem* nonnulli; & *Fabius* ille *Platonis* vindex, *Rhetoricæ artis* assertor maximus, haud constans sibi, videtur sanè ad vocem satis ambiguam confugisse, *vim* nempe, quam *Græci* δύναμιν, quasi ad quendam desidiæ portum, & (præfiscinè dico) in re dubiâ κρησφύγετον ignorantiæ. Quin habeant sibi rivales isti suam, quam depereunt adeò, *Argivam Helenam*; cluat τέχνη *ars Rhetorica*; habeat præcepta catholica nempe, aut magis generalia, quæ in *Aristotele* amplector multa, in *Fabio* nonnulla, in *Cicerone* plurima; Aquilæ sunt hi, &, ut decet, in nubibus dominantur; at quorum tamen implumes pulli, dum ad nimis singularia descendunt; quibus modis, quid in quâque causa dicendum præscribunt; *juvenem suum*, ut inquit *Vives*, *pueriliter sapere ac loqui docent*, *&* *in* Tyberis *aut* Ilissi *alveum*, *irrito labore*, *conantur ipsum* Oceanum *corrivare*; quos ego penè

nè dixeram *Statores Oratoriæ*; non quò eam, acceptâ clade, *Stiterunt* fugientem; sed potiùs quippe captivis ingeniis, liberè se, & prudenter satis aliàs jactaturis, serviles adeò compedes injecere; aut, quasi lege *Pompeiâ* nuper de novo latâ, impositos velint frænos *Eloquentiæ*. At vos, Juvenes, arripite citò, quæ vestra est, genuinam loquendi, & orandi, libertatem, (non procacem interim licentiam indulgeo) hanc sartam vobis tectamque tueamini. Quod ad me spectat in munere hoc qualitercunque obeundo, *Prælectorem* vestrum nec illi sequacem, nec in eorum præceptis vos estis ducem habituri. Ad *Palladis* potius & *Mercurii* connubium (quod Antiquitas *Hermathenam* vocabat) sitis invitati, ad prudentem volo, nec minùs eloquentem, Tragœdum *Senecam*, grandem verbis, crebrum sententiis, materiâ pressum & pensitatum; qui, inter alia ad invidiam probi hominis conficta, ob hæc præsertim, Dii boni! quanta piacula! non nisi ipsius Majestatis læsæ reus agebatur

batur, nempe quòd, *Nerone* perorante, & versus faciente, ausus esset *Eloquentiæ* laudem sibi, ut aiunt, uni asciviſſe, & æquo crebriùs carmina factitâſſe. Nec quòd vobis *facultatis* scilicet *Oratoriæ* candidatis *Poëtam* proposui, aut culpam mihi deprecandam sentio, aut a quovis veniam impetrandam, dum ipsum *Fabium*, in eruendâ *Artis* suæ vetustate, ad *Poëtam* video *Homerum* fugientem; nec jam primùm habeatur *Poëtica* δημηγορία quædam popularis oratio. At si-quis alius *Poëtarum* uspiam, id noster *Seneca* nunquam non putetur præstitiſſe, quod ait apud *Platonem Callicles*, ἐν θεάτροις ῥητορεύειν. Id tantùm superest, Si nemo nisi vir bonus, secundum *Fabii Quintiliani* sententiam, *Orator* dici *perfectus* poterit, en vobis præbeo *perfectissimum*, *Annæum Senecam*, quem ob summam probitatem animi, integritatemque, partim scriptis, partim etiam moribus relucentem, frendente licèt *Dione Cassio*, de optimo quovis scribente pessimè, pessimè sentiente, *Muretus* et alii

San-

Sanctum appellarunt; è cujus scriptis, quod unum addo, si non *orando* sitis *peritiores* futuri, sitis saltem *vivendo meliores*.

Dixi.



Ad

Philologiam Antiquam invitatio,


Confecto Prælectionum circulo, sic clausit Terminorum ultimum & Senecam.

JAm tandem videor (lectissimi Juvenes) quomodocunque, meo defunctus officio, & nunc vobiscum jure liberandus ab hac parùm gratâ molestiâ. Quantumvis illa Antiquitatis monumenta, quibus ego in hoc trium quatuorve Terminorum decursum versabar maximè, instar *Cyri* Sepulchri,

chri, de * quo olim diximus, non in hortis tantùm, (ut languidè reddit *Strabonis* interpres) sed ἐν παραδείσῳ quidem posita videantur, & vireta dici possunt literaria, ambulachra nempe ad voluptatem æquè vestrum omnium, ac usum, destinata. Quô magis invitandi estis, ut, delassatis animis per ambages Logicas & labyrinthos ambulando, à sinistrâ missis novitiorum senticetis, huc divertamini, carpatis poma verè aurea, æternitatem vobis unicè vindicantia. Sin cui fortè nimis pertinaci in sterquilinio magis libeat volutare, fruatur sus, per me licet, suis deliciis, &, ut verbo dicam, is sit quem ego, verus audaxque vates, futurum pronuncio, sempiternæ devotum caput Ignorantiæ.

* *In Not. ad Sen.*

Dixi.



Senecæ *Encomium.*

Cùm, intermisso biennio, resumpsit Prælectoris Officium, & suum Senecam.



PRodeo iterum, Charissima Juventus, repetitâ hujus, absoluti olim, officii vice, nescio an *Rhetoricen* ornaturus, an progressurus potiùs, res magis ardua, *Criticen* exercere. Deposui tantùm, non abjeci, meum *Senecam*, Scenæ tyrannum, *Orchestram* unicè *Romanam* quatientem; et, ignito *Eloquii* curru latum, ardentem facundiam è nubibus fulminantem. Nec enim intra privatos lares quisquam est quo magis possum languescentem mihi animum erigere, & intercalari quadam suavitate delinire. Sequor *Medeam* vindictæ

vindictæ ſaturam, & pendentem in aëre hyemem calcare videor, vipereo triumphantis currui alligatus. *Hippolytum* lego? exulare cogo importunam libidinem, & ſanctiſſimum illud *Caſtitatis* ſacrarium ſoleo venerari; cujus malè-diſcerptos artus dum infelicem video *Theſea* componentem, nictantes ſeni oculos ſuſtineo. & trementem figo manum perhorreſcens. Quid dicam cætera? Excœcat ſe ſcelere convictum *Oedipus*, & ſuos mihi largitur oculos, quibuſcum videam olim *perunčta facibus ora* ſplendore ſummo, & pulchritudine *Artis Rhetoricæ* decorata. *Troas Hecuba*, dum interfecto lacrymis parentat *Hectori*, deponit mihi in ſinum caput, & innumera cadunt eloquii ſtillicidia. Verbo omnia; Non citiùs ſumo in manus *Senecam*, quàm intra anguſtum mei pectoris domicilium theatrum porto, ubi affectu vario movetur Anima, & incedit cothurnata. Quô magis liceat deflere rei jacturam literariæ, quòd è tot triginta Poëtarum fabulis has decem tantùm,
 nec

nec omnes has, integras numeramus; quos nescio an ab *Apollinis* oraculo (quod de *Græcis*, *Sophocle* & *Euripide*, fertur) *sapientes* pronunciatos; certè quem habemus superstitem *Sanctum* olim diximus appellatum, & quis ergo dubitat *Sapientem*? Adeste igitur, ornatissimi Juvenes, excutite omnes, quos fovetis nimiùm, turpissimos spuriæ *Eloquentiæ* proxenetas, qui oratorum, si Diis placet, titulo insigniti, quicquid hesterna contraxit crapula primo mane in os vestrum solent revomere, & simplici cujusvis tenerioris animi credulitati inequitare. Quod tandem loci hujus, munerisque, est; à vobis nos (quantillum vestræ pignus observantiæ!) singulis septimanis unius tantùm horulæ præsentiam, ejusque gratum futurum comitem, silentium postulamus.

Dixi.

Classicum



Claſſicum Homericum *Prælectoris* Græci *ad armata Studia Collegas Juvenes provocantis.*

Lectiſsimi Juvenes, Mea cura,



SI, quod hodiernum me monet officium, & penè imperat exemplorum authoritas, per vicarias manus mihi tradita, & ab ultima proſus Antiquitate delegata, *Græcæ* linguæ *Dictaturâ* ineunte, ejuſdem ego lemniſcatum vobis *Panegyricum* inſtituerem, eâdem operâ viderer certè aut priſtinam quandam exprobrare negligentiam, aut præſentem ſummi profectus

 ambitum

ambitum in re nempe literariâ deſiderare; quorum illud moleſtum ſatis futurum autumo, hoc ſcio fore non minùs inhoneſtè, ætati præſertim veſtræ, deputatum; utrunque tandem intempeſtivum æquè habendum ſuſpicor, ac odioſum. Nam quorſum, Juvenes, inter arma & militares, undique coëuntes, exercitus, *Linguarum* laudes conarer celebrare? non virum ſonat, ſequioris ſexus gloriam intercipit, & muliebria prorſus honeſtamenta aucupatur; quorſum *Græca*, ſcilicet ſupra modum eruditæ, inter graſſantem nimirùm undique Barbariem, ubique dominantem? Illud potius, cuicunque veſtrum ſive felix præceptoris inſcitia, ſive ſuæ repugnantis, aliqua, at & faventis ideò, Naturæ pertinacia, ſive denique utriuſque ſatis curioſa incuria, tantillum admodum *Hellenismi* contraxerit, eidem ſentio, ad dignitatis apicem, & honoris faſtigium, aſſurgere ambienti, hoc etiam, quantulumcunque ſit, eſſe ſeriò dediſcendum; quod duxi ego maturè
vos,

vos, & in Academicâ hac infantiâ, admonendos, ne adultâ poſthæc cum æ- tate ſcientiâ, nobiſcum fortè *inſaniæ a-* ɛti, hoc eſt, *doctrinæ*, cum temporis ſimul ac famæ diſpendio, infelicem illum eruditionis tramitem cogamini remetiri; ne ſitis ſerò inſipientes evaſuri, ut ſitis potius inculpatè ignorantes. Quid enim, obſecro, juvabit *Theologum* ſpecioſa *Græcæ* linguæ peritia, niſi ut *Patres*, ſi diis placet, antiquos perlegat, illos *Papalis Cathedræ* patronos, *Prælaticæ* pompæ impios paracletos? Quid *Medicum*, niſi ut *Hippocratem* Gentili Deo prognatum, *Galenum* Atheum, familiares habeat, &, dum in iis corpori ſtudeat ſalutaria, mortifera animæ pocula exhauriat, eademque aliis propinet delibanda? Quid *Juris* denique *Civilis Conſultus* hanc in ſubſidium ſibi ſuperbè arroget, cùm *jura* interim *municipalia*, ut vocant, ut nos, *Communia*, politicæ hujus machinæ columnas, popularis porrò libertatis vindices, *Romanæ* linguæ fæculenta barbaries munivit ſatis, egregiè

honestavit. Sed personam exuo. Hoc est illud incendium, Juvenes, quod nocturno oleo, & antelucanâ nostrâ lampade, conflagravit, ædes hasce *Musarum* nomini, & Sapientiæ, consecratas, nisi occurratur citiùs, citissimè vastaturum; quod nescio certè an lacrymis extinguerem, an sputo potiùs, & contemptu, suffocarem. Ubi enim projecta summi *Senatus* authoritas, & ad ipsum flagitii patrocinium prostituta; Ubi calumniis conspurcata *Regia Majestas*, eademque vi & armis oppugnata; Ubi violata denique *Ecclesiæ Sanctitas*, Venustas direpta; frustrà tandem dignitatem togæ periclitantem deflebimus, quam, ceteris pereuntibus, conservandam seriò sperare non possumus, penè dixeram, nec prudenter exoptare. Idcóne tamen abjiciendæ sunt literæ, librique, sacræ Veterum reliquiæ, furenti populo, claudicanti illi *Vulcano* immolandi? Ideóne gentis togatæ capita, templa *Mercurio* et *Palladi* sacra, *Vacunæ*, & *Murcæ*, & *Inscitiæ*, turpi harum pe-

diſſequæ, ſponte devovenda? Quin potiùs, Juvenes, alterâ manu teneamus gladium, librum alterâ; ſic, ut plebs ſuam effrænatam licentiam, nos noſtram, divinitùs conceſſam, *libertatem*, hoc eſt, *Regiam*, nam & hæc noſtra eſt, à quâ unâ defendimur; *Religioſam*, nam & hæc noſtra eſt, quàm meritò veneramur; *Literariam* denique, verè noſtram, & *Marte* ſimul & *Arte* vindicemus, eamq; ſuo in loco conſtitutam ſtrenuè tueamur. Tantum eſt, ſic pugnemus, Juvenes, ſi fors obtulerit, ſic interim ſtudeamus, ut ſeditioſa plebecula, & intemperanter libera, *Religionis, Majeſtatis, Literarum* denique, exilio erubeſcat, earumque tandem, noſtro, quantum in nobis fuerit, auxilio partum, reditum gratuletur; nec tanti miſeram ſalutem æſtimemus, quam, niſi beneficio, ſive maleficio potiùs, ſervitutis, ſacrilegii, perduellionis, ignorantiæ, habere, etiam precariam, non poſſumus, et, ſi mecum eſtis, pulchro hoc ſtipatam ſatellitio, nolumus expectare. Dixi.



Tuba Hebraïca

Prælectoris, inter bella civilia, Collegas Juvenes ad studium Linguæ Sanctæ convocantis.



Uòd me tam ſerò vobis præſentem ſiſto, humaniſſimi Auditores, ſuſcepto jam olim munere obæratum, niſi ſatis perſpecta eſſet noſtrorum (quanta!) animorum trepidatio, & maleſida ſtudiis, iiſque etiam ſuaviſſimis, attentio; hodie tandem aut ſpecioſum aliquem Expectationi veſtræ obtentum litarem, aut, ſuſpectam forte, inertiam deprecarer: nec enim cuivis contigit *Catonis* animus, qui, quo die repulſus eſt, luſit, quâ nocte fuit peri-

periturus, legit; de ſummâ noſtrarum omnium fortunarum agitur, ipſiſque etiam vitis periclitatur; & neſcio quidem annon ſit temerè contumacis animi potiùs, quàm prudenter fortis et ſtrenui, tum loqui incipere, tum linguas expolire, cùm in alieno poſitum arbitrio intuemur, an ſit nobis deſinendum vivere. At cùm ſubit in mentem mihi, calamitoſa temporum infortunia cogitanti, tremendum illud *D. Hieronymi*; *Hebraam linguam non deſero, ne ab eâ deſerar*; calcandam cenſeo *Fortunæ* peſſima intentantis audaciam, et, quocunque diſpendio (ſiquid poterit temporaria hæc noſtra, quantumvis aliàs intempeſtiva, diligentia.) futurum linguæ *Hebraïcæ* commercium, & ſempiternum ejus patrocinium, ambiendum. Quod tamen non ideò putetis dictum, quaſi præcluſa nobis ſit *Æternitatis* janua *Hebraïca* ignorantibus, Rapiunt indocti cœlum, tenentque; ſed ut Auguſtam, & verè Imperatricem Linguam, fide omnium cœleſti olim dominio coronandam, honeſto interim dignemur

nemur obſequio, & comitatu ſaltem non contemnendo proſequamur. Agamus igitur, ornatiſſimi Juvenes, et ſupra hoſce *Civiles* tumultus, hominumq; maleferiatorum ſatagentiam, in cœleſti nempe confinio poſiti, ſecuri omnium, *Sacram* hanc *Linguam* excolentes, Angelorum conſortio, & beatarum Animarum colloquio perfruamur. Quod ad *Prælectorem* veſtrum intereà attinet; ſi dabitur ei legendi libertas, cui in hoc eodem Sacrario * orandi licentia aut prorſùs interdicitur, aut conditione parùm honeſtâ conceditur, quamvis non jactabit ſe affectatâ nimiùm lectionum frequentiâ; de debitâ præſentiâ, quantum officii ratio poſtulaverit, ſe fideli vobis pollicitatione obligabit.

* *Aut à Sacris ei abſtinendum præcipitur: aut Deum verſus altare non eſſe adorandum.*

Dixi.

Præ-

Præfatio habita ante Disputationem Philosophicam.

In Scholis publicis.

DUæ res ſunt, florentiſſimi Academici, quas à ſingulis, quibus officii ratio in hæc ſubſellia aſcenſum imperat, tum loci dignitas, tum ſpectatiſſima veſtri conventus celebritas, ſolet poſtulare, vivida ſc. *Eloquentia*, & ſana *Philoſophia*; quarum alterutram forte ſi contigerit abeſſe, non minus infauſti ominis augurium foret, quam ſi in mari turbido, orbatus fratre *Caſtor* apparuiſſet. At quàm arduum ſit,

&


& supra humi-repentis ingenii vires, it[a] omnibus perfectum numeris in publicu[m] prodire, si non aliorum exemplo fre[-] quenter didicissem, id meo jam esse[m] fato, egregiè doctus, inpræsentiarum pro[-] baturus. Tantum est, Auditores opti[-] mi, quod alii in infortunii loco sæpissi[-] mè posuere, hoc ego ut ambitionis api[-] cem constitutum habeo, ita & in gloria[e] cumulum accessurum sentiam, in ha[c] vel illâ, quod in utrisque fieri non posse video, vobis placuisse. Memoriæ prodi[-] tum est, *Gallos Herculis Ogygii*, quem ut divinum *Eloquentiæ* Numen sempe[r] coluere, simulachrum facturos, in un[a] præsertim re miram lenocinantis facundia[e] vim ingeniosè admodum, & scitè, adum[-] bràsse; ex ore nimirùm aiunt catenula[s] quasdam tenuitatis subtilissimæ ad cir[-] cumstantis turbæ aures pervenisse; qui[-] bus illud innuere videbantur, quantill[o] labore potuit hic verè *Hercules* conflu[-] entis undique populi frequentiam ala[-] crem sibi, & non omninò reluctantem attrahere, orationisque veluti contract[o]

fræno

fræno pro libitu moderari. Quod hîc in *Hercule* depictum habuistis, si mihi hodierno die obvenerit, ut vestrum aliquos auribus forte suspensos habeam, id unum vellem, catenâ pariter fiat tenuissimâ; non ut sperem vos vel dicendi facilitate, vel aliquâ disputandi subtilitate, detinere; quin illud potiùs in votis habeo; si quicquam vobis arriserit minùs, præ tenuitate facilè ruptâ catenulâ, quocunque vestrum cuique libeat abeat liber; sic factum erit, ut inscitiæ nostræ, temeritatisve, testes, aut nullos simus, aut, quod proximum in votis est, saltem perpaucissimos habituri.

Dixi.





In minoribus Comitiis

Præfatio disputationem Philosophicam cum Patre habendam antegressa.

Domine Procancellarie, Veneranda Purpura, Magistri ornatissimi.



Quàm arduum esset, & supra omnem orationis cujuspiam à tenuitate nostrâ prodeuntis ambitum, variis undique *Tripodum* facetiis jamdiu delinitos, & per ingenii vireta palantes, animos severioris *Philosophiæ* laqueis irretire; nisi erudita illa, & flexanima, Patris interposita

ſita* Explicatio eos omnes, * *Prioris theſeos* neſcio quâ naturali magiâ, veluti intra circulũ quendã convenas cõpuliſſet, mallẽ certè autumare tantùm, &c. fæliciter occupatus, animo conjicere, quàm re unquam ſeriò experiri; imò mihi, præſertim hodie, deprecari liceat attentas aures, & præſentem quandam abſentiam impetrare. Quæ enim ſolent diſputantis animum excitare maximè, & labantem reficere, topica illa diſcurrendi licentia, per locos h. e. Dialecticos ſpatiandi, & dilucida adeò quæſtionis ſententia, ut nec ab implicata metuat difficultatem inſuperabilem, nec ab incertâ haud præcavendum periculum; utraque mihi prærepta video, aut ferè deſperanda. Quod enim primò agitandum convenit, cùm in *Scholis Theologicis* ſe ſatis liberè jactitaret, & alternâ vice ad utramque partem volitaret transfuga, vel in duas diviſum æquè pugnam ſatis ambiguam redderet, ad *Philoſophiæ* tandem anguſtias redactum, & in ſuo quaſi minimo naturali conſtitutum, *Reſpon-*

dentis lateri fidus satelles, nisi *Opponentem* quendam κυμινοπρίστην repererit, si quicquam video, omninò nullam seriò disputanti ansam ministraverit. Quod ad secundum attinet, cùm ad Intellectum divinum scandit, supra omnem humanum captum positum existimo, & admirari possum, intelligere perhorresco. Quod cùm sibi famulantes habeat istas *improvidæ ætatis pupas*, ut ait ille, *Idéas Platonicas*, non dico hodiernum *Patrem*, cujus *ingenii acumen* novimus, quod de *Platone* ipso noster *Verulamius*, *veluti de excelsâ rupe*, *omnia circumspicere*, alios dicam vindices reperisse, ut *Alexandrum Aphrodisæum*, aiunt, *Aristotelicam* illam de *Æternitate Mundi* sententiam, non quòd esset omnium verissima, sed quòd contradictioni minimè obnoxia. De utrisque mihi metuendum video, ne in *rebus* hodie peccarem pariter ac in *nominibus* olim *Roïs filius*, magnus ille *Aristotelis* interpres, qui cùm nec *Græcam*, nedum *Latinam*, linguam intellexerit, sed purissimum

mum illum *Philosophiæ* ſuccum in *Arabicam* unam tranſvaſatum excepiſſet, poſuiſſe fertur pro *polo Ptolomæum*, pro *Protagorâ Pythagoram*, pro *Cratylo Democritum.* Utcunque eſt, * quantumvis fortè *Actio* noſtra, ut nimis temeraria, *punibilis* habeatur, animo tamen ad *intellectum* veſtrum, & voluntatis libitum, non niſi omni conformitate compoſito, veſtrâ ſpero humanitate condonabitur.

* *Ad quæſtiones diſcutiendas alluditur.*

Dixi.



Speculum Socraticum,

Ad nobilem quendam Juvenem, in arenam Philosophicam sponte descendentem, breve Moderatoris Anteloquium.

Generose Juvenis, vel, quo magis fortè gloriaris titulo, nec mereris minùs, erudite,



Ides te cingentem undique pubem *Atticam*, &, tanquam ad *Socraticum* illud *speculum*, coëuntem, in quo se omnes, quales futuri sunt,

ſunt, aut fieri debeant, cum ſummâ animi delectatione intueantur, hoc eſt, probos, hoc eſt, eruditos, hoc eſt, modeſtos, hoc tandem eſt, omni virtutum genere & ornatu nobili inſignitos. Orandus ergo es, ut illud tuæ perfectionis exemplar in publicum proferas, neç patiaris modeſtiam, intempeſtivè aliàs & inutiliter verecundam, idem intra anguſti, quamvis & caſti, pectoris latebras continere, ne tute debito honorario defrauderis; ne Juventus hæc aut fruſtretur ſpe, aut deſiderio collobaſcat. Dixi.

Ad Eundem, fæliciter abſolutâ Diſputatione, Gratulatorium Epiphthegma.

Lectiſſime Juvenis,

P*Ræluſit Hydra*, de Hercule olim binos ſerpentes in cunis comprimente, dixit

apud *Tragœdum Megara*; de te nos totidem adversarios, satis callidos, &, nisi rationis vi arbitrioque detentos, ex amplexu elapsuros, in hisce Academicæ saltem literaturæ fasciis, & incunabulis, superante; in quo certè conflictu satis amplum dedisti specimen subtilis ingenii, ingentis animi, & tamen eruditæ modestiæ; nec quicquam est, quod tam arduum cogitare possumus, ut idem nobis de tuâ indole non audeamus polliceri. Is es, qui non sericato otio, & calamistratâ socordiâ, delectaris; huc nempe prodis in arenam literariam, non auctoratus, non tractus, non pœnæ aliquâ pulsus formidine, nedum popularis auræ illecebris irretitus; breviter dicam, honorarius simul & munerarius planè clueas disputator, idque hodie seriò præstitisti, ut quantâcunque spe futuræ olim eruditionis tuæ expectationem concepimus, eâdem animi firmitudine, teneamus.

Dixi.

Ardelio,



Ardelio,

Sive,

In Scholis Jurisconsultorum Moderatoris Oratio, præmissa duplici Controversiæ.

Florentissimi Academici,



Ntisthenes olim *Atheniensibus* consuluit, ut asinos, perinde ac equos solerent, ad agriculturam deligerent; quod cùm iis absurdum prorsùs, & perridiculum, videretur; *& tamen*, inquit, *habetis duces militaris rei admodum imperitos*, à vobis

designatos. Quòd si ille in Scholis hisce hodiernas moderandi vices subjisset, non aliud, sentio, nostris Jurisperitis objecisset; qui cùm ubique satis altercari soleant, sæpiusculè hîc subtiliter disputare, in solemnioribus hisce, simulque doctioribus, eorum controversiis, nihil minus quàm *Juris-peritos* moderatores plerunque habent, & Judices edititios: Hoc si aliis, olim hæc subsellia ascendentibus, cuiquam videar falsò imputâsse, de me ipso saltem impræsentiarum, Academici, haud quicquam melius audeo polliceri; cui penè idem reverâ video contigisse, quod de se tantùm minatus est *Cicero*: *Si mihi*, inquit, *vehementer occupato stomachum moverint, triduo me Jurisconsultum profitebor.* Et fortunati sanè, fælicesque, fuissent vel optimi *Juris*, seu *Senatorii*, seu *Imperatorii Professores*, si, quod *triduo* quidem vix fieri potuisse sentio, *triennio*, uno, vel trino, illud aureum opus confecisset, quod, in personâ *Crassi* loquens, fatetur se seriò cogitâsse, ut *Juris* nempe

Civilis

Civilis diſciplinam in *Artis* rationem formamque redigeret; quàm enim nunc, quæ *Digeſtorum* nomine circumferuntur vulgò, *confuſa* pleraque, & *indigeſta!* quàm inter ſe mutuò pugnantia, & in *Jure, Civili* dicto, bella in ſunt pluſquam *Civilia!* quod *Triboniano* illi, non hujus unius injuriæ Architecto, acceptum referendum, qui, ut *Juſtinianum, Thracis* bubulci nepotem, Imperatorem factum, ὀρθοδοξότατον quidem, ut ait ille, ſed (proh dolor!) ἁπάντων γραμμάτων ἀμάθητον ἅμα καὶ ἀναλφάβητον, perſonæ ſuæ fautorem haberet, admiratorem diligentiæ, quæcunque olim *Papinianus, Juris aſylum* dictus, & *Legalis prudentiæ theſaurus*, quæcunque *Paulus, Pomponius, Ulpianus,* cæterique, ſacra *Juris* monumenta reliquerant, fælici exitu in *compendium* ſe jactavit redegiſſe; quorum, ſi non omnium, Academici, plurimorum ſaltem, *diſpendium* potiùs feciſſe videatur. Et facile erat hac in re ignaro Principi, & nimis credulo, imponere, cui illud anteà augurantis fidei pignus

nus tradiderat; *Justiniano* ſcilicet mortem eſſe minimè obeundam; at Imperatricem Animam, eandemque carne veſtitam, in cœlos eſſe aſſumendam; quam ipſe apotheoſin, infectâ re, futuram veritus, *triennio* illud (ô præcipitem nimis, & infælicem *Juriſconſultis* feſtinantiam!) *triennio*, inquam, abſolvit opus, quod alius quiſpiam, quamvis ipſe *juris peritiſſimus*, vix toto potuit *decennio* confeciſſe. Hinc illæ olim lites & lacrymæ; hinc plures facti *Conſulti Juris*, *Juſtitiæ* pauciores; Hinc demum triplex liber, terminandis cauſis deſtinatus, *cereus invitium flecti*— congeſſit potiùs, quā ſuſtulit, controverſias. Quantô feliciùs, fauſtiúſque, *Juſtinianus* præſtitiſſet quod *Caius* Princeps dicitur innuiſſe, qui, cùm effrænatam *Juriſtarum* ſui temporis ſuperbiam ferre non poſſet, jactavit ſe protinus effecturum, nequicquam præter *æquum* & *bonum* auſi eſſent uſpiam reſpondere. Idque feriò effeciſſet, ſi *Juriſprudentiam*, ut olim, gratuitam, non, ut dein, quæſtuariam reddidiſſet.

didiſſet. Fertur enim apud Antiquos morem extitiſſe, *Juriſconſultos* non, pretio conductos, vendidiſſe verba, ſed in publicum locum quotidie prodeuntes, & unicuique civi ſe præbentes gratìs conſulendos, ſacra *Juris*, cujus fuere dicti *Sacerdotes*, & *Juſtitiæ* oracula edidiſſe. Sed quorſum hæc, veluti ad *Juris* invidiam dicta, ſiniſtrâ fortè multorum nimis aure imbibenda, ex animo certè (ſaltem quod ad melioris notæ *Conſultos* attinet) nihil minùs ſentiente prolata! Ad te tandem aliquando convertor, digniſſime *Profeſſor*, nec tamen quicquam aliud allocutum, quàm quod *Alcibiades* olim ad *Eurybiadem*, ſublato ſcipione, eum loqui vetantem, πάταξον μὲν καὶ ἄκουσον

———*Feri ſanè, inquit, & audi.*

Sic tu etiam virum hunc, literatum ſatis, in procinctu, ut vides, ſtantem, *ferias* lectiſſimis argumentis, & tamen *audias* appoſitè reſpondentem. Tu autem, erudite *Reſpondens*, *Profeſſorem* veſtrum, cæteroſque te publicè *invaſuros*, ne ictu

ictu oculi maligno *interfice*, at eorum tela, dum inculpatam tutelam habeas, quâ poteris arte, omnia subterfuge; aut, si quod fortè vulnus acceperis, præsenti panace, Linguæ scilicet sanes hoplochrismate; intereà loci nos omnes scias, veluti tot *juratos testes*, *testimonia* tuæ literaturæ simul, ac Juris peritiæ, vera quidem, & valida, daturos.

Dixi.

Quæstiones discutiendæ.	*Licet invasorem interficere.*
	Testimonium testis injurati non valet.

Lectâ explicatione prioris Theseωs, Sic excitat Cathedratum Professorem *Dominus* Moderator.

Amplissime professor,

PLaceat dignitati vestræ utrique *opponenti* facem præferre; *Invasorem* agas,

agas, ſed tamen facilem, idque eruditi *Reſpondentis* vires experiendi gratiâ, nequaquam opprimendi; me interim habes modeſtum ſatis, *Moderatorem* temporis, non *Judicem* controverſiæ.

Monente horologio, ſic affatur ultimum Opponentium.

Ornatiſſime Magiſter,

VEreor ne limites temporis huic diſputationi præſtitutos tranſilire videamur; placeat tibi ut hodierna lis, utrinque ſatis acriter agitata, hîc acquieſcat tandem, & terminetur.

Pro



Pro electione

Ad Præfecturam Scholæ Persianæ,

Et, paulò pòst,

Ad Sodalitium Caio-Gonvilense;

Utroque simul fruituri privilegio,

Ἐυχαριστήριον

Ad indulgentissimos Electores,

Magistrum & Socios

Collegii de Gonvile & Caius,

In Academiâ Cantabrigiensi,

Apud Anglos.

Integerrime Dignissimeque Custos;

Viri, si cui unquam ullo, mihi certe nullo non nomine colendi.

DIcuntur veteres ut *frontem Genio*, *digitos Minervæ*, ita & *aurem* etiam

tiam *Memoriæ* conſecrâſſe; cui ſi fortè *Linguam* addidiſſent, putâſſem eos & grati animi, acceptum munus meritô prædicantis, & benefici etiam, ut par eſt, eundem audientis, utriuſque ſacra facientis *Memoriæ*, imaginem deſignâſſe. Quòd ſiqua tandem jubeat Religio, (& jubet aliqua) tempeſtivam accepti beneficii mentionem, votivâ velut tabulâ depictam, *Gratiarum* ſcilicèt Templo appendi *Memoriæ* conſecratam, æquè mihi ſacrilegi videntur qui, collatâ gratiâ, ſurdeſcunt prorſùs, & ſub titulo modeſtiæ occludunt aures cuivis grato linguæ, ut & animi, obſequio fidem ſuam, ſeque ære, gravi admodùm, liberanti; ac qui, acceptâ aliquâ (propudia hominum!) immemores ſimul, & ingrati, obmuteſcunt. Habeo ergo cur vobis poſſim, & debeam, gratulari, Viri ornatiſſimi, ſatiſque mihi conſcire videor, quantum veſtræ, non dicam præſentiæ, quam loci hujus aut ſanctitas, aut dignitas, poſtulâſſet, &, me licèt abſente, habuiſſet; at, peractis ſacris,

ad

ad quæ præcipuè confluxistis, quantum vestræ sim moræ hodiernæ debiturus; quâ in re idem mihi video contigisse, quod *Chrysippus* olim, referente *Senecâ*; gratiâ aliquâ beneficiove donato statuisset, quem, velut in certamen cursus compositum, & carceribus inclusum, suum tempus operiri voluit, nec, nisi signo dato, prosilire; & quidem *Chrysippo* acceptam refero tam fæliciter oblatam gratias nostras, ita serò redeuntes, causandi ansam; ut dicam scilicet, me ante hodiernum diem à Vobis nullum signum accepisse; quod si tandem opportunè datum respuissem, & stetissem mutus, spero benevolentiam vestram non illud mihi obstinatè renuenti, aut grati animi officium recusanti; sed amorem vestrum, & ingentem simul beneficiorum cumulum, stupenti imputâsse. Memini me de *M. Tullio* alicubi legisse; Neminem ejus monumenta adeò accuratè volutâsse, quin si denuò revolvat eadem, quod antè latuit, aliquid inveniret; quidni idipsum ego de vestris in me

me cumulatis beneficiis profiteret, quæ si conarer omnia, curiosè adhibito scrutinio, enumerare, num *aliquid* dicam? apage tantillæ voculæ tantam μείωσιν, dicam *plurima*, ne dicam prorsùs *innumera*, superfutura. Juvat equidem, fateor, & nostram simul, et favoris vestri, infantiam meminisse; quas primitias, quàm certum amplioris gratiæ, posteà conferendæ, accepi pignus, *Scholarium* scilicet ordini assignatus! idque quantum in te fuit, Venerande *Custos*, (nefas enim esset tacere) tunc temporis oblatum habui, cùm, si non defuit accipiendi facultas, defuit saltem acceptum retinendi; prælusit nempe *D. V.* secundæ curæ, quæ me, ut decuit, modestè latitantem, excitavit tandem, & honoris tanti fecit Candidatum, quantum ego, nisi tuo monitu impulsus, vestroque simul, Viri literati, consilio fretus, munitus auxilio, minimè quidem sperare poteram, minùs expectare; at utrumque vestra benevolentia superavit, & spem simul, & expectationem, dig-

nata scilicet me, tantùm non infimi, olim, subsellii *servum*, fecisse *Socium*. Quin adhuc aliud restat, quod vobis acceptum referam, Venerande *Custos*, *Quadrumviri*, quotquot adestis, spectatissimi, amplam satis *Persianæ* nimirum, quondam florentis, *Scholæ* Præfecturam, quam nescio quidem an à me dicam temeriùs ambitam, an à vobis, Viri, lubentiùs, collatam; quòd siquam forte majorem solito spem concepistis, doleo equidem me, infælicem, eandem fefellisse; quem & accepti muneris, quantumcunque est, seriò pœniteret, si quenquam vestrum sentirem dati pœnituisse; Habeo enim cur suspicarer, Viri humanissimi, ne de me dicatis quod de *Galbâ Tacitus*. *Omnium consensu capax imperii fuisset*, *nisi imperâsset*; qui si benè, ut dicitur, *latuissem*, nescio certè an *vixissem* meliùs, scio meliùs *audivissem*; quô vicem meam deflere debeam, quòd, quanticunque gratiam vestram æstimarem, in hoc uno *ingratus* videbor, quoniam *indignus*; nec tamen


men ita *indignus* essem, aut viderer minùs; nisi in barbarum genus hominum incidissem, & ingenuitate nostrâ (audacter dicam, dum modestè simul) longè *indigniorem*, quibus nunquam placere potui, nec studui unquam; quæ ipse scio non probat populus; palpare, assentari, ad placitum omnia & facere, & loqui, quæ probat populus, ipse nescio; nec enim capto popularem auram, præsertim inter cives nobis aliàs infestos; summæ fidei, & assiduæ industriæ, sine turpi & fallaci obsequio, aut æstimatores humiles, aut iniquiores interpretes; gaudentes scilicet oratorem vestrum incauto ambitu à vobis insciis perpetuam litem, & vile servitium, non adversus fortunæ ludibria præsidium aliquod, & Ludi literarii Magisterium, aliàs honorificum, obtinuisse. Et nisi temerè arreptum *imperii* titulum superbè nimis jactare videar, dicam verè, nostro in loco, *Qui nescit servire*, ita saltem ut sibi consulat, *nescit imperare*; Id ergò mihi, cætera nescienti, facilè erit factu-

rum satis, si a Vobis præsertim fidem impetraverit; officium loci, quicquid sit quod sobria *Ratio* poterat expectare, temulentâ quamvis refragante *Invidiâ*, (quæ pro neglecto habet quod sciens volensque rejicio) & sublestâ fide contrarium asserente, pro virili saltem, me seriò præstitisse: Nec tamen illud arrogare audeo, quod *Apollonio* olim, & *Callimacho*, ubique, ut aiunt, artem sequentibus, Antiqui tribuebant, apud quos ἄπτωτοι, & ἀδιάπτωτοι, quasi qui errare nescirent, dicebantur; fœlix, ignorantia! quam ut discam (abeat *Cato* ad *Græcas* literas confectus senio) ego senex lubenti animo dediscam omnia. Sed quò me rapit importunum nimis vestra omnia in me collata beneficia officium *numerandi*! cui illud incumbit potiùs, studium *referendi*; de quo tamen nihil quicquam dicendum habeo, nisi quod sentio animum linguæ minimè reluctanti suggerentem; *Gratias* nimirùm, quas me ab ipso vestri favoris primordio *habentem* profiteor, eas me in

præ-

præsentiarum tandem *agentem* gestio; & quas, pro merito vestro, me *relaturum* nunquam sperare audeo; audeo tamen me perpetuò *habiturum* seriò polliceri. Quòd siquid adhuc ultrà expectetur vobis tribuendum, ut dicunt *Æschinem* se olim *Socrati* tribuisse, meipsum tribuo; &, cùm nihil habeam *animâ* decumatius, quam ex Naturæ præscripto aiunt & toti totam, & totam singulis membris distributam, utinam, paulô majori miraculò, per eandem Naturam licuisset vobis ipsam, quibus ter & ampliùs debetur, et totam omnibus, & simul totam singulis impertiri.

Dixi.



In Scholis Theologicis

Quæstiones disputandæ.

1. *Episcoporum* ordo est divinæ institutionis.
2. *Seniores Laïci* non nituntur verbo divino.

AD quas impugnandas utinam mihi aut tertiæ tantum vices contigissent, aut potius nullæ; quippe qui parùm cupio cuivis scurræ optio procedere, & libellionum impudentiæ succenturiare; libentiùs me in publicam Ignorantiæ clientelam dederem; imò audire mallem utriusque turpis desertor causæ, quàm improbitatis tantæ, & antiquæ malitiæ, jam postliminio reversæ, strenuus propugnator.

Quod

Quod ergo, doctissime *Respondens*, ad theseωs tuæ explicationem attinet, eandem excepimus bene munitam depromptis è sacrâ paginâ testimoniis, *Patrum* suffragiis, *Conciliorum* calculis, & , quod mirum est, nonnullo etiam ipsius *Rationis* prætentu roboratam; absit igitur ut in eandem ego temerarius irruerem, quam, si aliquâ ex parte nudatam conspexeram, vel animæ mea objectu contexissem; Hâc igitur missâ, pro formâ saltem, & officii ratione, sic invitus disputo;

Omnis institutio *constituit rem in particulari cum determinatis circumstantiis*;

Institutio divina *non constituit* Episcoporum ordinem *in particulari cum determinatis circumstantiis*; Ergo &c.



Declamatio prima.

Quæritur,

Utra utri,

Prudentia, *an* Eloquentia, *In* Imperatore *præstantissimo,* C. Julio Cæsare, *sit præferenda.*

M*Inervam* Deam, Corona spectatissima, quam artis *Imperatoriæ* inventricem fecerat, *hastam* unâ tenentem manu, *librum* alterâ, non inconcinnè quidem, finxit Antiquitas; illâ robustum et forte *brachium*, hoc *mentem* literis & virtute exornatam, voluit denotare; nam tantum absuit ut incultum illud, & *Scythicum*, inge-

ingenium *Imperatorio* ſat dignum munere cogitaret, ut æterno potius damnaret ſervitio. Apage ergo degeneres illos, homines dicam, an turpia humani generis propudia? quos cùm in hoc ſummo rerum faſtigio *Fortuna* collocavit, en

——————*genus & proavos jactant*;——

hoc tantùm ab illis deberi ſentiunt, hoc expectari; quòd ſi ingenioſa architectrix *Natura* nonnullis *Veneris* & *Gratiarum* inſigniis corpora decoravit, ſpeculum adeunt, at non *Socraticum*, nam omnem ilicò animi ornatum aut neglectui habent, aut deſpicatui. At euge tu tandem invicte *Cæſar*!

Cui meliore luto finxit præcordia Titan; non te *Regem* fecit veſtis *Tyriæ* color; non frontis nota *Regiæ*; at tres in fronte ſeſſitantes *Gratiæ*; at cothurnata *Muſarum* caterva, pulchro *Virtutum* ſtipata ſatellitio. Hinc *Imperatorum* vocaris gloria, quod quæcunque naturæ, aut artis, ornamenta *Imperii* ſceptra tenentem deceant, in te uno, ad invidiam uſque, eluxe-

eluxerunt omnia; &, quod magna pars laudum fuit, eò *prudentiæ*, eóque simul *eloquentiæ*, devenisti, ut summum utriusque culmen attigisse apud *Historicos* videare. At itáne, victo *Pompeio*, in te bella geris plusquam civilia? Ideóne, quòd summa tibi contigit *prudentiâ*, quòd summa pariter *eloquentia*, altera alterius imperium quærit, & dominatum?

Quin benè conveniant, & in unâ sede morentur:

sit, quòd *prudens*, *Cæsar Imperator* optimus; sit & optimus, quòd *eloquens*; at quis seipso melior, aut melior optimo? Quòd si cui vestrum, Auditores, perspicacem adeò ingenii oculum tribuit *Natura*, ut in horum alterutro præstantiam videat, ab illo nostrum captivum duci libenter patiemur judicium; quippe qui admiramur *Cæsarem* adeò *prudentem*, admiramur itidem adeò *eloquentem*; at, quod res est, propter utrum admiremur magis, penitùs ignoramus. Ferunt Historici, veteres *Græcos* nihil adeò

in

in votis habuisse ac *Reges* optimè *Musicen* callentes; nec *Epaminondæ* quicquam à *Thebanis* magis in laudem cessit, quàm quòd ad citharam bene cantare potuit. Quin mage virilis animus *Romanis*, quibus arridet tantùm

Quod prodesse potest, & delectare——

quæ utraque solam potuisse *Suadam*, si perorantem *Cæsarem* audivissetis, & tulisset dictis, & facto comprobâsset. Sileant interædituros pugnam inanes illi tubarum strepitus;

Non est, horribilem cùm Mars *ciet undique pugnam,*
Tortilibus clangant lituis, aut tympana pulsent;

Cæsarea modò sit præsens *eloquentia*, clara, vehemens excelsa, & totis ingenii viribus incitata, militantium animos plusquam trecenta classica acuit, irritat; erigit jacentes, consternatos reficit, labantes sustinet; cujus auxilio usus, *Venit*, *Vidit*, nec quid interest, quin etiam *Vicit*, *Cæsar* refragantem *Pontum*; Hâc, *Pompeiano* prælio, milites, nescio

quo

quo fato, perterritos, fugientes revocavit; Hâc ipsis inimicis *Gracchus* excussit lachrymas; Hâc etiam sicariorum enses, in suum districtos jugulum, hebetavit *Antonius*; de hâc pulchrè cecinit Poëta;

Per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa,
Potentius ictu fulmineo.

Quòd si res fortè postularet, *Suadâ* non posset *Proteus* ipse esse mutabilior; inflammandi sunt animi? in ignem accenditur; pungendi? in stimulos acuitur; consolandi? in *Nepenthen* spargitur. Dici non potest quot sunt lenocinantis *facundiæ* mites immitesque præstigiæ; hoc tantùm est quod dici potest,

Illa regit dictis animos, et pectora mulcet.

Habuistis, Auditores *Cæsarem* nostrum *armatum* foris, & *Eloquentem*; accipite eundem *togatum* domi, nec *facundum* minùs. Refert *Quintilianus*, J. *Cæsarem*, quo bellavit animo, eodem etiam in foro perorâsse, excelso scilicet

&

& sublimato; & quid hôc ad *Imperatoris* dignitatem amplius? quid ad populi utilitatem uberius? quid denique ad utriusque famam inter exteros propagandam excogitari unquam potuit illustrius? Hinc *Mithridates* tanto dignatus encomio, quòd *Legatos*, à quocunque ferè terrarum missos angulo, ornatâ adeò oratione excepisset: Hinc laudat *Homerus*, poëtarum rex, *Menelai* argutam brevitatem, *Nestoris* melleam suavitatem, *Ulyssis* copiam nivibus similimam,

——ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσι.

Hinc ipsum *Cæsarem* jactat φῦναι πρὸς λόγους ἄριστα, *Plutarchus*. Sed ad forum redeo; illìc in solio sedentem video *Reginam Eloquentiam*, ejus auxilio *Cæsarem* controversa disceptantem, ignorata sagaciter inquirentem, vesanos quandoque populi tumultus ad nutum suum facilè sedantem; adeò ut quod de *Mercurii* virgâ finxerunt Antiqui, hoc ego de *Cæsaris Suadâ* non vereor affirmare,

Increpuit? tacet omne pecus;——
Conspexere? silent, arrectisque auribus astant.

Cùm

Cùm enim in oratione cernant authoritatem monentis, severitatem increpantis, Deamque ipsam, ut *Periclis* olim, ita *Julii*, labiis sessitantem, velútque è *Castalio* fonte *eloquentiæ* perpetuò fluentem scatebram, præsens *Minervæ* numen, ut par est, agnoscunt, venerantur; Et quando veriùs, Auditores, *Imperator* dici potest *Cæsar*, quàm cùm *Subditorum* animos, quòcunque velit, non solùm ducit, sed invitos licèt, & reluctantes, compressis quasi habenis Eloquentiæ attrahit sibi, & pro arbitrio coërcet. En' *Suadam* in prælio pugnanti clypeum! En eandem in solio sedenti sceptrum! & tamen unum restat, en ultimum exspiranti *Cæsari* confugium! Κὶ σὺ τέκνον; tria tantùm, at tantarum virium vocabula, ut ex iisdem *Brutus*, parricidarum ingratissimus, nisi fuisset ei pectus plusquam triplici munitum chalybe, mortiferum magis accepisset vulnus (& accepit forte) quàm *Cæsar* noster tot conjuratorum adactus pugionibus. Videtis aliàs quantum subsidii gloriæque dederat

rat *Cæsaris Imperio Cæsaris Eloquentia*; at si non comitem habuisset *Prudentiam*, quæ nullo modo potuit prodesse, plurimùm obfuisset; hac in re habeo oratorum summum mihi suffragantem, qui, se *malle*, inquit, *indisertam prudentiam*, *quàm garrientem illam*, & *loquaculam*, *Stultitiam*; non enim *eloquentiæ* meretur nomen, quam stultis negatam, & μόνον ψυχῆς εὐφρονούσης ἔργον dixit *Isocrates*. *Minervam*, Auditores, quam natam de *Jovis* vertice fabulantur *Poëtæ*, *Prudentiæ* emblema agnoverunt *Romani*; quam cùm *Amulius* pictor penicillo adumbraret, eandem tanto perfectam artificio, et consummatam, dedit, ut undique versum spectantes, intentè admodum intueri videbatur. Miror equidem viri ingenium, pictorisque fælicem manum deosculor, qui externis oculis, omnia plerunque crassè intuentibus, divinum tantæ *Virtutis* proprium subtiliter expressit: quæcunque enim ad faustum *Imperii* statum, perpetuamque *Subditorum* salutem, conducant, hæc omnia

omnia, plusquam *Lynceâ* oculorum acie, *Imperatoria* plerunque prospicit prudentia; in pace futura meditatur pericula; in bello latentes *Martis* subolet, præcavetque, insidias, dolos intercipit; nec quid unquam inconsultò adeò, temeréve, committit, unde incommodi quicquam patiatur *Imperium*. At quid *imprudens* possit *Inoperator*, testis sit, favente plebe, Consul olim factus *Flaminius*, quem misera præcipitem adeò egit insania, ut, viribus solùm, & audaciâ, exultans, nihil præter certamina cogitavit; unde a *Pœno* ingentem accepit plagam; cui nisi *prudens* ille, & *Imperii clypeus*, occurrisset *Fabius*, *Roma*, terrarum orbis gloria, subitò corruisset. At quis nostro *Cæsare* prudentior? qui novit optimè ferociores sævientis *Fortunæ* impetus aut callidè declinare, aut, quod magis est, jamdiu paratâ manu, fortiter repellere. Quin absit, Auditores, ut *Cæsarem* à *Cæsare* dividamus; & in tanto *Imperatore*, id agamus seriò, aut pejus, quod in *Amphitryone*, duplici

plici lusit Comicus, verumque *Cæsarem* vero itidem *Cæsari* opponamus: Gratulemur potiùs in eodem *Julio*, aliisque *Imperatoribus* exoptemus, utraque hæc utriusque status, *Civilis* scilicet, & *Bellici*, ornamenta, æquè necessaria, ita prosperè juncta, & felici nexu concatenata.


Dixi.

I Declamatio



Declamatio Secunda.

Malè fecit Porcia, *quæ* Bruto, Cæſaris *exitium meditanti, ſilentium præſtitit.*



Myclas ſolos ſilentium perdidit; jam olim in proverbium abiiſſe fertur; & utinam tuum, invicte *Cæſar*, exitium nobis, coram hâc ſpectatiſſimâ Coronâ hodie perorantibus, proverbiali fidei nullam refragandi anſam præbuiſſet. Quin eccum, *Athenienſes*, ipſum *Cæſarem*, non humili *Amyclarum* gente oriundum, at *Romanum*, at *Romanorum Principem* & *Imperatorem*, fortem, facundum, ſilentium,

tium, idque vix fidem habiturum, foemineum perdidit,

——————*Sic Porcia fecit,*

Ut nullam obtineat fabula prisca fidem.

Serpentem ferunt tantâ celeritate linguam movere, ut, cui *unam* solùm *Natura* tribuit, movendo *triplicem* habere videatur. Quam de *serpentibus* illi, hanc ego de *fœminis* narrâssem fabulam, nisi inopinatò *Porciam* tacentem legeram. Quoties enim *fœminea* loquacitas increpita? quoties fidei loquendo violatæ, & quàm referta, occurrunt exemplorum volumina? quàm catervatim viros, uxoriâ, prorsùs incontinenti, linguâ, alios exulantes, alios dignitate & opibus spoliatos, & præter *Fulvium* è *Romanis* proceribus, quàm multos vitali lumine exorbatos, antiqua memoriæ scripta prodidere? Et tamen *Porciam*! *fœminam*! *tacere*! idque etiam cùm *maritum* prodere potuisset! si nihil miri in verbis lateret, res ipsa nobis supra sexum aliquid stupendum pollicetur. At quô magis possem hoc tuum, *Porcia*, suspicari

picari *silentium*, facit animus novitatis avidissimus, facit & lingua insulsè adeò maritalis percontatrix consilii; illud nimiæ aut levitatis, aut curiositatis, indicium; hoc tuæ fidei commissum aliquid parùm cautè servandum minatur. Nec te *silentii* ream fuisse arbitror, nisi turpe aliquod moliendum facinus animo statuisses. Consultiùs igitur fecisset *Brutus*, si (ut matrem prætextatus *Papyrius*) importunam *fœminam* extemporali aliquo commento elusisset; tu, *Porcia*, fideliùs, si aut *maritum* talia meditantem à proposito dimovisses; aut, tam nefando animi instituto immobiliter pertinacem, proditorem prodidisses; nam sic decuerat amantem *Conjugem*, sic *matronam* honestam, & subditam. At quàm aliorsùm rapit *Porciam* perfidia! quæ, dum hæret, minatur, æstuat, queritur, *Brutus*,

Furoris vultu signa lymphati gerens,

non hæc, ut in Tragœdiâ *Clytemnestra* nutrix,

Frana

Frana furialem (Conjux) *& siste impetum*,
Et quanta tentes cogita; ————
At potiùs
———*in praeceps rapit*, Porcia,
Iramque flammis dubiè residentem excitat;
Incumbe in iras (inquit) *teque languentem excita*;
Penitùs feroces pectore ex imo impetus
Violentiùs hauri;——
Quicquid admissum est adhuc, aut admittendum,
Pietas vocetur.————

At dum fucato verborum collyrio lippienti *Bruto* obducit oculos, excœcat penitùs; &, dum maritalem salutem simulat, exitium quærit. Hôc igitur longè miserior *Brutus*, qui, tantam *fæminæ* admiratus constantiam & affectum osculatus, manus præ gaudio in altum sustulit, *Adeste propitii Cælites*, inquit, *ac dignum me* Porciâ *maritum præstate*. Insipiens *Brute*,

Conjuge tu, teque est dignissima Porcia *conjux.*

Ubi tu Caius, *Brute, sit Porcia* Caia.

Sed quousque tandem vestrâ (Viri *Athenienses*) abutemur patientiâ? quousque *fœminam*, maritum urgentem, increpare progredimur? quam unicum patrandi sceleris *silentium* ad ipsas Inferni *Furias* relegabit. Et tamen egon' illud perstringam facinus, quod olim melliflua *Ciceronis Suada* non modò ab omni culpâ liberavit, quinetiam summo insignivit encomio? Egone *Porciam silentem* arguam, dum ille *Brutum* laudat *occidentem*? Imò hoc acriùs mihi certandum video, quô magis strenuum sim nactus adversarium: Quòd si hæc eadem *Ciceronis Suada* sit hodiernam fortè passura μετεμψύχωσιν, & quas in foro olim Romano, in hoc amplissimo pariter perorandi Theatro partes egerit, præfabor exordienti metro aculeatè monitorio.

Causa patrocinio non bona pejor erit.

At quid tibi, *Porcia*, fecerat *Cæsar*, ut eundem

eundem perfidè interfecturum celares? quid tibi, *Brute*, ut in *Senatu* interficeres? quid tibi, *Cicero*, ut interfecto triumphares? Num ille publicum Ærarium compilavit? (quamvis bono publico perfregit) Num vestra unquam bona diripuit? ædes incendit? liberos trucidavit? Num ille denique *Hunc mihi plecte*; *Hunc tolle in crucem*; *Hunc virgis cæde*; ferocientis olim in foro *Dictatoris* more, exclamavit? Absit, absit, inquam, ut innocuam Serenissimi *Cæsaris* majestatem tam atrâ tyrannicæ crudelitatis maculâ turpiter, & immeritò, inquinetis.

Non hic interemit nobiles, juvenes, senes,
Sparsos per orbem, cùm suos mortis metu
Fugerent Penates. ———
Servavit cives Principi & patriæ graves;
Cùm licuit unâ voce suspectos sibi
Mori jubere, non tamen jussit mori.

At intestina, aiunt, commovit bella,

&c, ambitiosâ regnandi libidine correptus, *Pompeium*, patriæ patronum, trucidavit; Siccine verò *Cæsarem* incusas *Cicero*, *Pompeium* liberas? Num te oculatissimum omnium, latere possit, quod Poëtam non latet?

——*Non patitur* Cæsarve *priorem*
Pompeiusve *parem*———

aut quantum inter *priorem* & *parem* distat, ignorat *Cicero*, aut novit quanto fastu *Cæsarem Pompeius* superavit. Quin tu, cùm, quod necessum est videas, videre nolis, nôsti connivere; At te uno licèt connivente oculo, alio *Cæsarem* obliquè intuente, utroque pariter coeca *Justitia* hunc, tuis undique circumseptum calumniis, non modò liberâsse, verùm etiam *Cæsari Romanum Imperium*, ex merito prorsus, videatur contulisse; Ne dicatur *Brutus* tyrannum occidisse, qui ab ipsâ *Justitiâ Imperatorem* constitutum, nequissimus hominum, interfecit; nec (ut tu vulgo suggessisti *Cicero*) fortem *Romanæ* libertatis vindicem, sed proditorem *Porciæ* perfidè

perfidè celavit. Sic *Brutus*,

Dum falsum nefas exequitur vindex,
Incidit in verum nefas scelestus.

Sic *Porcia*, dum *veram* patriæ simulavit fidem, *simulatam* prodidit: Ne tamen tu tibi aculeatam *eloquentiam*, illa non minùs subdolum & artificiosum *silentium* sibi pariter posset gratularier, *Cæsarem* unicum Reipublicæ Liberatorem, *Pompeium* intestinæ seditionis fautorem, breviter demonstrabo. Et quid ego fautorem dixi? cùm, nisi rupta *Pompeii* fides *Cæsarem* provocâsset, vix unquam, sentio, habuisset prælium, quod cantaret, *Lucanus Pharsalicum*. Hinc ad arma curritur, quibus sæpissimè victus *Pompeius* insolenter admodum æquissimas pacis conditiones recusavit. Cùm enim *Cæsar*, missis per *Antonium* ad plebem literis, peteret ut ambo Provinciis decederent, exercitus dimitterent, plebisque judicio sese subjicerent; repudiavit *Pompeius*, &, recollectis viribus, ut in hostem designavit. At statuit *Cæsar* armorum præmia armis defendere; sic, interfe-

interfecto tandem hoste, seditiones compressit; pacem universo terrarum orbi præbuit; instaurantes bella undique coërcuit; leges instituit; labascentem Romanum populum sustinuit; *Italiam*, pariter nutantem, firmavit; civibus pepercit; inimicis indulsit; exules reduxit; &, triumphali frontem decoratus lauro, *Patriæ Pater*, *Dictator perpetuus*, publicâ *Romanæ* gentis acclamatione salutatur. Sed quid ego, laudando liberandove *Cæsarem*, *Porciam* silentii, *Brutum* perpetrant parricidii reum, progredior tantâ contentione incusare? Quidni cum *Hippolyto Senecæ* dicam?

———Hâc potius pergam,
Quæ via magnum compensat iter.

Sit ergò *Cæsar* noster proditor Patriæ perditissimus; sit depopulator audacissimus; sit ipso *Nerone Neronior* h. e. crudelior *Tyrannus*; at tibi interim pater, *Brute*, & in hoc tibi, *Porcia*, patronus; utrique præsidium; & is demùm quo pereunte pariter periistis. Hunc te igitur injussum & (quid si dicam?) inauctora-

ctoratum, *Brute*, minimè omnium interfecisse decuit; te minimè, *Porcia*, interfecturum animâsse; frustrà enim sub otioso silentii titulo, & ineptâ spe, tibi blandiaris, nisi unam *Porciam*, omnibus notissimum, ignotum latet;

Quæ non vetat peccare, cùm possit, jubet.

Memoriæ proditum est, quòd post *Pharsalicam* victoriam non comparente *Bruto*, *Cæsar*, eundem interfectum veritus, indoluit graviter, & à militibus diligenter perquiri jussit; cui cùm incolumis tandem perductus esset, non modò vitâ, quam perdere meruisset, donatus, sed tantâ fuit cum alacritate animi lætitiâq; acceptus, tantâ benevolentiâ, tot honoribus, affectus, ut à quibusdam non adoptatus titulo, sed reverâ natus ei filius crederetur.

——————————*Sed olim*
Prodigio par est in nobilitate Senectus.
——*En* Brutus *in cædem ducis,*
A quo salutem tulerat, armavit manus.

Quan-

Quantum cruoris Roma *tunc vidit sui*
Lacerata toties ! ————

Quòd si hoc *Brutum* animo meditantem indicâsset *Porcia*, illi Populus *Romanus* vitas, illi liberos, illi fortunas, illi denique ipsum *Cæsarem*, ipsamque *Rempublicam* acceptam retulisset. Æquum igitur censeatur, *Porcia*, ut tuum tergum maritali stultitiæ, quam celando tuam facere voluisti, subdas succidaneum. Sed

Qui statuit aliquid, parte inauditâ alterâ,
Æquum licèt statuerit, haud æquus fuerit.

Prodeat igitur jamtandem *Porcia*, & quemcunque silentii prætextum habuit in medium proferat. Quin hæc (*Athenienses*) cùm dubitabat adhuc quid *Brutus* agitaret, modò eam sui participaret consilii, quicquid demùm acturus esset, si non auxilium præbere potuerit, silentium saltem & fidem se præstituram pollicetur. Quàm apertum fœmineæ temeri-

meritatis indicium! Non sic ille olim *Germanus*, qui *Dominicano* cuidam quid arcani commissuro, siquid Principi hoc scire interesset, quodcunque fuerit, se minatur proditurum.

Præstare, fateor, poterit quis tacitam fidem,
Si scelere careat; interdum scelus est fides.

Sin non sit scelus, *Porcia*, est stulta fides, quod prodi debeat illud celare.

At te reflectit conjugis *nomen sacrum;*
Quin cogat potiùs proditoris *nomen impium.*

Nec hoc conjugii sacrata fides est; Principem trucidare; Nec hoc est fidem præstare *Viro*, *Patriam* violare. Quod si *Dii Conjugales*, ipsaque *Genialis tori* Lucina *custos*; silentium fœminæ imperâssent *Pythagoricum*; dum *Deos Patrios* offensos habeat, necesse fuerit, illis minùs gessisse morem; his decuit *Porciam* eloquii obsequium, & fidelem animi venerationem præstitisse. Non ergò *Cæsa-*

rem

rem interfecit *Porcia*, filuit tantùm, & interfecturum celavit.

> *Quin scelus intra se tacitum quæ continet ullum,*
> *Facti crimen habet.* ——————
> —————— *Hostis est quisquis mihi*
> *Non monstrat hostem.* ——————

Neronis olim, sævientis licet, fuit tamen Imperantis dictum, & in hoc saltem haud insanientis.

> *At ubi non licet tacere, quid cuiquam licet?*

Imò nonnunquam licet tacere, *Porcia*, & intima pectoris arcana tibi soli nota custodire, tua scilicet; non item alieni animi prodigia in perniciem principis aliquandò, nisi prodita, proditura.

> —————— *Sæpe vel lingua magis*,
> (et vel manu forte)
> *Regi atque Regno muta libertas obest.*

Quòd si hæc tria tantùm emisisses verba, *Rex* Brutum *cave*; & monuisses tempestivè *Cæsarem*; nec mariti nomen, sine aliquo subterfugio, detulisses. At te silente *Porcia*, cecidit *Cæsar*, &, cadente

Cæsare

Cæsare vix steterat *Roma*, nisi propitiis *Deorum* manibus sustentata. Certè quem salvum tibi, & summis honoribus evehendum promiseras, periit *Brutus*; &, scelerati tandem silentii conscia, duplicisque parricidii rea, tu etiam propriis confecta manibus, *Porcia*, periisti. Quæ igitur *Cæsari*, marito, sibique ipsi, exitio fuit, Patriæque, difficulter conservatæ, periculo, si non malefecit silendo *Porcia*, jamtandem vestrum est, *Athenienses*, dicere. Ego

Dixi.



Decla-



Declamatio tertia.

Caii Cæſaris, *non* Porcii Catonis, *ſententia, de captis in Conjuratione* Catilinariâ *Patriciis, & laudanda fuit, & à* Senatu Romano *admittenda.*

DE Conjuratione *Catilinariâ* (*Athenienſes*) ſiquem veſtrum, in frequentiſſimâ hâc lectiſsimâq; Coronâ, ſentirem prorſùs nihil inaudiſſe, illum ego ſtupendæ ignorantiæ, meque ipſum difficilis fidei, animique nimiùm ſuſpicacis, viderer incuſare. Hoc olim anxiè curavit *Cicero*, ut in Rempublicam *Romanam Catilinam* conjurâſſe,

se, eundemque tandem (*Cicerone* scilicet Consule) fuisse deprehensum, cum *Romanâ* linguâ ad posteros, ubicunque nascituros, non sine infamiæ notâ, transmitteretur; nec quisquam è vobis est, qui vel a limine eandem linguam salutaverit, cui non execrandum illud *Catilinæ* facinus, cui non & ipse ille *Diis Inferis* devotum caput meritò videatur. Urbem incendere, Consulem trucidare, sacra Deorum templa demoliri, quæ omnia, nisi feliciter præventus, *Catilina* perpetrâsset, fuisset quidem, ut cum *Tragædo* loquar,

Efferum, ignotum, horridum, tremendum cælo pariter ac terris nefas:

cujus si ego hodierno die inhonestum patrocinium susciperem (nisi vobis simul rationem insitam judiciumque præriperem) apud vos essem, satis scio, aut nullam *fidem*, aut nullam certe *gratiam*, habiturus. Quod tantum abest, humanissimi Auditores, à nostro instituto, quantum a vestris animis abesse sentio, de me ita malè augurarier. Quin abeat

ergo in malam rem hæc pestis patriæ; abeat turpe hoc *Romanæ* gentis Propudium, *Catilina*, qui non si nostro, fultus patrocinio nequeat stare, in æternum cadat. At vereor tamen ne cui vestrum oratio nostra arrideat minùs, ut quâ planè videar *Catonianos* jam diu consopitos manes coram hoc vestro tribunali sistere, ab *Inferis* revocatos. Et hoc jubet quidem (*Athenienses*) *Cæsarei* nominis, in frequenti olim *Romanorum Senatu* unius tantùm senis (delirantis dicam, an nimium sævientis ?) temeritate, majestas conculcata; Cùm enim *Vulturcius* quidam, (nuper & ipse *Catilinarii* sceleris popularis) *Patricii, Senatoriique* ordinis nonnullos ad *Ciceronem* detulisset, ecce, vix adhuc patefacto facinore, de supplicio cogitandum! Nec imperavit citiùs, quâm *Silanus*, nescio quis, at, quantum ex reipsâ licet conjicere, *Senator* aliquis triduanus, pro gravitate illâ, quam abunde satis tantillo temporis spatio ex purpurâ contraxerat,

Terri-

Terrificam capitis concussit terque quaterque
Cæsariem, ———————
et tandem, cæteris aliquanto commotior, dicitur exclamâsse,
———— *Dent ocyùs omnes,*
Quas meruere pati (sic stat sententia) pœnas.

At, *Diis* gratias, nondum est *Silanus Romæ* factus, habitusve, *Pythagoras* transformatus, ut quod *ipse dixit*, pro jure statim & æquo censeretur rato, minimè repudiando: Et tamen utinam quod ille dixit, idem *Senatus* aut serò saltem, aut non omnino statuisset; quod ab eis abfuisset longiùs, nisi truculentam hanc *Silani* sententiam severus *Cato* assensu comprobâsset; Cùm enim ad illum, & *Cæsarem* nostrum, delata res esset, ut quid uterque agendum sentiat, *Senatus* intelligeret; *Cato*, pro more suo & solito, non nisi morte plectendum scelus; *Cæsar* parcendum dignitati judicavit; *illi Senatus*, quod *huic* debuit, obsequium præstitit. Et quis vestrum est (*A-*

thenienses) qui non in hoc *Catonis* audaciam miratur magis, quàm *Catonis* probet judicium? quem nec metus assidentis Purpuræ, nec circumstantis populi contracta supercilia, in re momentosâ adeò, plenâque periculi, ab hac censendi temerariâ licentiâ deterrere poterant; nec authoritas *Semproniæ* legis, de civibus *Romanis* morte non plectendis, ad hanc *Cæsaris* clementiam aut probandum publicè, aut cum silentio saltem ferendum, commovere. Miram audaciam! *Porcium. Catonem! Senatorum* unum! in medio *Senatu!* non tantùm viros generosos & nobiles, sed ipsos etiam *Senatores*, morti adjudicare; & tamen majus mirum, *Catoni* sævienti tot graves & prudentes viros, assessores judicii, tam paratè & promptè consentire potuisse; nisi fortè, quod de *Mario Consule* refert *Salustius*, idem de Catone cogitemus, *nihil ausum ei* Senatum *abnuere.* Quin demus *Senatum* submissum adeò factum, & *Catoni* quidlibet censenti obnoxium: Est tamen hydra mul-
torum

torum capitum adhuc superanda. Fortè Populus hoc improbabit: Tu, *Cato*, facies ut Populus probet. *Satis*, certè, *pro imperio* prolatum;

——Maximum hoc regni malum est,
Quòd facta domini cogitur populus sui
Tam ferre, quàm laudare; ——

nam quòd te *Dominum*, *Cato*, & *Regem*, salutemus, Populumque *Romanum* tuum nominemus, cogunt dicta & facta omnia pro arbitrio, nemine auso contravenire, aut quicquam contra *Catonem* mussitare. At *Lex* prohibet; Tu, *Cato*, *lex* es tibi. At exemplo caret: Et, ne posteri sient exemplo cárituri, exemplum dabis. Macte hâc tuâ severitate, *Cato*, & cùm omnes *Reipublicæ Romanæ* cives at *Inferos* relegaveris, tum tutò poteris regnare solus, solus triumphare. Crudelis *Cato*! cujus tacente linguâ, furcas, equuleos, cruces, mortem denique ipsam, mortEM dixi? parùm hoc, & *Catonicâ* planè indignum tetricitate (parcant, oro, *Ciceroniani* manes cui fa-

vent *Ovidiani*) dicam mortES (autore *Senecâ*) fimbriata frons, oculi fulgurantes, pallentes genæ, totus denique vultus,& persona muta, solet minitarier. Tantilli scilicet apud te sunt tot viri nobiles? tot *Patricii?* tot *Senatores?* *Lentuli?* *Statilii?* *Ceparii?* qui viri! quæ familiæ! quæ demùm *Romani Senatus* insignia! hos omnes unâ perire nocte! unius tantùm perditissimi proditoris scelere trucidari! idque uno *Catone* imperante! esset quidem *summum jus*, & vereor ne tandem *Reipublicæ Romanæ* futurum sit *summa injuria.* At quid ego de salute Urbis *Romanæ* conservandâ jam postliminio dubitare videor, intemperanter solicitus, intempestivè curiosus? Evasit,floruit, &, *Catilinâ* suo cum exercitu pereunte,feliciter triumphavit.

Honesta quædam scelera *successus facit*, multa *consilia.* Sic olim deletâ floruit *Carthagine*, *Catone* pariter, at majori, censente; quòd si fortè stetisset illa, quòd si & illos a supplicio liberâssent, quæ *bis* tantùm dicitur floruisse, felix

ter

ter & ampliùs extitisset. Memoriæ proditum est, de *Pericle* morituro, quòd cùm ex assidentibus amicis alios prudentiam, alios eloquentiam, alios alia laudantes audivisset; ille, modicè erecto capite, *Aut parva*, inquit, *aut fortuita laudâstis, & illud interea maximum omisistis, quòd nemini pullam sumpsisse vestem nostro unquam contigit imperio*: Mirum judicium, & Rege dignum! Hoc habuit ille,

Hoc habent Reges magnificum & ingens,
Prodesse reis, supplices fido Lare
Semper protegere. ————

At tantam interim *Romana* Majestas dedignatur clementiam; in subditos sævire, sontes supplicii gravitate deprimere; insontes æquè aliàs trucidare; immò ipsa Naturæ fœdera temerè violare; à primis orientis *Romæ* crepundiis magnifica ducebantur; &, *Catone* tandem in *Senatu* dominante, clamatur,

——*solum decus esse* Romæ,
Semper intensum tenuisse ferrum.

Quid autem ego hac in re *Porcium Catonem* crudelitatis nimiæ insimularem, quem cura miserè periclitantis patriæ, & extremum pene spiritum haurientis, solito magis aliquantùm irritaverit, & hanc ei (aliter invito fortè) sententiam extorserit? Quin abeat, scilicèt in malam rem, hæc impia pietas, & cura nunquam patriæ profutura, nisi maximâ sit incuriâ prætermissa; Abeant hi *Amputatores* potiùs, quàm *Patres*, patriæ, qui, quod in arboribus fieri solet, *Rempublicam* sentiunt non, nisi decacuminatam, posse reflorescere. Itáne *Porci*? num illud tibi est, *Patriam* curare, *Senatum* interficere? Vivat *Senatus*; tuam sentiat populus clementiam; & Patria, *Cato*, si possit, pereat. Ferunt *Metellum*, in bello *Jugurthino*, prohibendo à delictis magis, quàm vindicando, exercitum brevi spatio confirmâsse. Quod in exercitu *Consularis* prudentia, quidni idem in Republicâ poterit, obsecro, *Senatoria*?

Qui

Qui fruitur pœnâ ferus est, legumq; videtur
Vindictam præstare sibi.———
———*Diis proximus ille,*———
Quem ratio, non ira, movet; qui facta rependens
Consilio punire potest.———

Absit tamen intereà, (Auditores) ut tam horrendum scelus sit, nullo vindice, impune evasurum; Id tantum ego, id tantum *Cæsar* provisum vellet, ne magis apud *Senatum* valeat horum scelus, quàm sua dignitas; neve iræ magis, quàm famæ Urbis *Romanæ* consulatur.

Dira supplicia ingerat Catonis *ira;*
Vinclis nobiles oneret manus,
Clusosque saxo noctis æternæ obruat,
Dum vitiis parcit.

——*Duo nunc moriuntur in uno,*
Civis, Senator: quòd si necesse habeat *Cato* ut perdantur *Cives*, serventur saltem *Senatores*. At qui ipsi *Senatum* confodere, Rempublicam evertere; qui Populi *Romani* nomen tantùm non extinguere conabantur; illos *Cato* vel puncto temporis

poris hac vitâ frui, & hoc communi ſpiritu confoveri, non putat oportere; quippini? quos nec tentati fruſtrà facinoris pœnitere poſſe, nec denuò repetentibus præcaveri putat, nec adeò infenſos ſemel animos, & à ſe mutuò divulſos, licere coaleſcere. Confecto bello *Macedonico*, Auditores, cùm de *Rhodiorum* civitate, Populo *Romano* ſemper infeſtâ, infidâ ſemper, conſultum fuit, id viſum eſt tum in ipſius *Senatus* dignitatem, tum in Urbis *Romanæ* ſalutem, abiturum, non tantùm illis intactam *Civitatem*, quin & ipſos etiam *Rhodios* (vivos?) immò prorſùs *impunitos* dimittere. Quod olim *hoſti*, conceſſum legitur, *Catone* pro arbitrio ſæviente, id ipſis C*ivibus*, ne dicam *Senatoriæ* dignitati (quàm injuſta ſummitas juſtitiæ!) Auditores, pernegatur. Nec quidem aliter *Rhodo* contigiſſet, quàm ipſi quondam *Carthagini* audiviſtis, ſi *Cato* aliquis (fatale nomen!) *Senatus-conſulto* interfuiſſet. Et ſatis mirari nequeo C*iceronem*, illum oratorum principem, pro


C*onſu-*

Consulari suâ, quam habuit, prudentiâ, non tantùm *Catoni* stimulos addidisse, quin & turpia majorum parricidia, quæ sempiternis offundi tenebris decuisset, in re malâ exempla longè pejora protulisse. *Manlius Torquatus*, ait, filium, quòd contra patris imperium in hostem pugnaverat, necari jusset; Factum *Torque* cannabino, certè, dignum, aut ferreo. *Marcus Brutus* duos simul natos, revocandis in Urbem Regibus studentes, pariter interfecit; verè *Brutus*, a cognomento minimè alienus. Et quod privatis licuit, illud tandem, in extremo totius Reipub. periculo, *Senatori* publico, aut ipsi potiùs *Senatui*, non licet? Ut mulus mulum! ut *Marcus Marcum* scabit, & *Manlium*! cùm siquod in *Romano Foro* vestigium sui *Astræa* reliquisset, non ità parricidæ isti effrænatos furoris impetus exercuissent; non patrias leges violâssent; non ità denique ipsi Naturæ vim impunè intulissent. Sed ad *Catonem* redeamus, quem in *Senatu* audire videor ità perorantem.

Agitur hodierno die P. C. *vestra non tantùm de horum proditorum supplicio sententia, quin & simul de salute hujus pulcherrimæ* Civitatis, *de* Imperii Romani *stabilitate, de legum nostrarum incolumitate, de libertate civium, de liberorum conjugumque pudicitiâ, de vitâ, famâ, bonisque omnibus bonorum omnium: Ut quicquid sit, quod de illo pronuncietis, idem æquè de singulis hisce statutum sentiatis.* Ergóne, C*ato, moriantur*, inquis? quin etiam dicas, sit hujus C*ivitatis* salus deperdita; sit *Imperii Romani* stabilitas concussa; sit *legum* incolumitas periclitata; sit *libertas* civium cum servitio commutata; sit *pudicitia* liberorum conjugumque impudicè prostituta; susque déque habeantur omnia, & confundantur; frustrà enim, his morti traditis, *Catilinam* animo devictum habes, & debellatum; id potiùs senti; eundem, omni abjectâ spe, aperto *Marte* cràs Urbis hujus mœnia oppugnaturum; illam ipsam, *Cato*, quam tu indignè occupas, sedem habiturum; & animam istam, nil præter cædes

cædes & sanguinem exspirantem, (ut par est) ad *Inferos* demissurum. Non sum nescius (Viri *Athenienses*) *Romæ* aliter rem sese habuisse; absit tamen ut id insano præcipitique *Catonis* consilio, quin ipsi potiùs *Capitolino Jovi*, perpetuo Urbis *Romanæ* Servatori, acceptum referatur! quod cùm videar mihi satis compertum habere & cognitum, nec metuo, nec dubito, illud liberè pronunciare; Si ego de *Patriciis* hisce sententiam laturus pro salute Reip. in *Romano Senatu* fuissem pristino tempore constitutus, non *Silanus*, non *Cicero*, minùs tetricâ gravitate *Cato*, summatim dicam, & seriò; hac saltem in causâ, *Athenienses*, aut certè fuissem *Cæsar*, aut *nullus*.

Dixi.



Declamatio Quarta,

Benè & consultò fecit Nobilis Stanleius, *qui, cum filii periculo,* Richardo *tertio*, Angliæ Tyranno, *auxiliares copias postulanti, pernegavit.*

MEmoriæ proditum est (ornatissimi Academici) de *Burleigho* quodã, summo olim inclytissimi hujus Regni *Thesaurario*, & Serenissimæ Principis *Elizabethæ* Majestati à Secretioribus Consiliis; quandocunq; eum

eum adiisset aliquis, id petiturus scilicet; ut peregrinandi copiam faceret, sagacem senem de vario hujus *Insulæ* apparatu, Comitatuum situ, more gentis, & aliis eò spectantibus, plurima percontatum, si fortè domi, quod aiunt, hospitem, & in suâ patriâ peregrinum comperisset, sic viri levitatem, sic domesticarum rerum ignorantiam increpuisse; Γνῶθι τὰ ἡμέτερα, *Nostra* inprimis *cognosce*, dein quæras aliena; Turpe nimirùm nobili huic, & experto, Consiliario videbatur, ita exterarum Gentium res admirari, nostras interim prorsùs negligere, aut parùm scitu dignas existimare. Nec quid aliud nunc dierum agimus, Academici, cùm in præclaro hoc Eloquentiæ Theatro peroramus, quàm, calcatâ nostræ Gentis Historiâ, & *Vulcano* traditâ, *Græcâ* scriptam fide proferimus; in *Romano* præsertim Foro res olim agitatas recolimus; Cives *Romanos* hinc accusamus, illinc defendimus, causas moderamur; quasi jam postliminiò simus donandi civitate, aut (quod majus

jus esset)pro Consulatu ipso futuri Candidati. Quòd siquis vestrum est qui hodiernum mihi silentium commendaret, non sine opprobrio *Britannica* Gentis, castissimarumque aurium offensione, productum sentiens execrandum tertii *Richardi* nomen, *Deisque Inferis* perpetuò devovendum; testor quemvis æquitatis arbitrum; quicquid inde detrimenti ceperit gloria *Anglicana*, illud tua, *Richmonde*, virtus, illud singularis, *Stanleie*, tua in patriam pietas, abundè satis poterit resarcire. Absit enim ab illustri adeò & præcellenti viro, Auditores, ut

Famam aucupetur nati de sanguine,
et
Compenset aurâ pietatis scelus.

Salvam optat *Stanleius* Patriam, salvum Filium affectu, pius, paterno deprecatur; at, cùm necesse sit alterutrum defuturum, de se suisque parùm solicitus, huic instat, ut salutariorem omnibus salutem asserat. Nec enim est cur quisquam possit perperàm suspicari, vel parricidii

ricidii nosmet, vel perfidiæ, aliquod patrocinium suscepturos; illud inhonestum esset, & impium; hoc (quicquid aliud) minùs tutum; utrumque sanè, si dextros simus interpretes habituri, aversamur protinùs, & amolimur.

Ferunt nonnulli, de *Norfolciensi* Duce, illo qui in prælio hoc, de quo jam verba facturi sumus, dicitur cecidisse; quòd rogatus sæpe quid in causâ esset, ut *Richardum* tertium, patriæ hostem, insolentem, (ut nôrunt omnes) *Tyrannum*, adjuvaret; respondit ille, *Si* Coronam *posti*, vel *stipiti*, *imponatis*, *quamvis certo cum vitæ dispendio*, *pro virili agam ut salva eadem*, *& intacta*, *conservetur*. Laudatur meritò in Duce tanta *Coronæ* reverentia; quam si ego à nobili nostro *Richardo* huic auxilium pernegantі, vel oppugnatam sentirem, vel imminutam; imò si non magis auctam crederem, & seriò propugnatam; vel silerem hodie, vel factum certè nullus vindicarem. Quicquid sit quo memorandum illud *Stanleii* facinus vel à nobis

jure laudari poſſit, vel ab aliis parùm juſtè vituperari, paucis accipite, &, ſi eſtis Arbitri, quales vos eſſe ſentio, æquiſſimi, judicate.

Quàm infeſtum fuit, & tranquillitati publicæ perniciosum, inter *Eboracenſem* olim, & *Lancaſtrenſem* familias infælix diſſidium, neminem ſentio in confertiſſimâ hac auditorum frequentiâ, qui non neſcire mallet, ſi neſciat, quàm pro atrocitate rei, & hiſtoriæ veritate, narratum exaudire; quas Nobilium ſtrages, quas cædes Civium, quas populorum undique, & ætatum omnium, edidit lanienas, ſi ad illas ex *Cæſaris* & *Pompeii* bello, quamvis pluſquam civili, *pluſquàm bello* (ut ait ille) oriundas conferamus, vel patientiâ veſtrâ abuteremur, Auditores, vel noſtram certè ignorantiam proderemus. Quàm in utramque partem luſit *Fortuna*! quàm in utriuſque miſeriis ſeriò triumphavit! nunc hanc, nunc illam, ad ſummum uſque dignitatis, Majeſtatiſque culmen viſa extuliſſe, *ut lapſu graviore ruat.*

Senſit

Sensit hoc, & utinam non sensisset, Academici, insigne sævientis *Fortunæ* ludibrium, *Henricus* sextus è *Lancastrensi*, Rex, siquis alius, verè pius, pacificus nimis, non semel tantum hæreditario privatus regnandi jure, de Solio deturbatus. Sensit hoc, & utinam sensisset solus, Auditores, *Eduardus* quartus, *Eboracensi* prognatus stirpe, ad Regnum, quod per vim priùs occupaverat, amissum tandem, per eandem vim denuò restitutus; quasi quod inter *Eteoclem*, & *Polynicen*, servatâ fide, prostiterat fœdus, alternas regnandi vices *Fatum* destinâsset: quòd si diutiùs vixisset ille, vel citiùs obiisset; aut *Fato* moram, aut intestino *Bello*, grassanti per *Britanniam* pesti, *Ne plus ultrà*, posuisset. At nondum *Insulæ*, parùm tunc temporis *Fortunatæ*, perfecta clades; hunc nequis *finem* malorum putet, est tantùm *gradus*: frustrà enim cruentus ille Dux *Glocestrensis* (quem sub exoso tertii *Richardi* nomine dehinc estis, Auditores, habituri) *Lancastrensis* familiæ patrem, filium,

um, propriâ confoſsos manu, ad mortuos relegâſset; niſi & fratris percuſſi liberos, Principum illud innocuum par, orientes Phoſphoros, duo, futuræ aliàs, pacis pignora, at & duo ambientis animi impedimenta, aut eâdem, quod aiunt, paricidali manu, aut non diverſâ mente, ſanguinolentâ, removiſset. Ita, ut *Romanum* olim *Tarquinius Superbus*, hoc *Angliæ* regnum, præcipiti conſilio, *rapere* maluit, quàm *expectare*; quam nefando partam ſcelere poteſtatem non exercuit meliùs, quàm acquiſiverat. Hinc illæ lacrymæ; hinc populo Regis nota & notata crudelitas; hinc populi fides ſuſpecta Regi; metuentes metuit; quos metuit mactat;

Periere mores, jus, decus, pietas, fides,
Et, qui redire, cùm perît, neſcit, pudor.
Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.

Sic ſenſit ille. At ne vos nimio magis ſuſpenſos tenerem, & hiſtoriæ tædio defatigarem, (quamvis multum in hoc dicendi genere, Auditores, tractandæ

rei

rei poſtulavit dignitas, difficultas flagitavit) cum ultra omne tum fas, tum nefas, ſæviiſset Impietas, Tyrannis dominâſset; eccum à tranſmarinis partibus, ubi exul vixerat, huc advolantem *Richmondiæ* Ducem, ſummâ nobilium plebiſque prece ſolicitatum, ſcilicet ut regnum ſuſciperet, ut patriam miſerâ ſervitute liberaret. Subolet hoc in ipſo limine ſagaciſſimo hominum Tyranno; is ſibi conſulit; quorum vacillantem ſuſpicatur fidem, hos vel trucidat ilicò, vel carceribus committendos curat, vel, dato obſide, vix è conſpectu tamen patitur abeuntes. A *Stanleio* noſtro, quippe qui *Richmondii* matrem in uxorem duxerat, filium poſtulat, traditum obſervat. Rebus ſic, Fatiſque ſimùl, ità ordinatis, ferro ſtipatus ſatis, an fide, neſcio, occurrit hoſti;

———Bina nudatis ſtetit
Acies in armis, æra jam bellum cient,
Aquiláque pugnam ſignifer motâ vocat.

In medio tandem ſiſtit ſe, fidâ magis,

 quàm

quàm numerosâ, militum armatus manu, nobilissimus *Stanleius*; utri inclinaret parti neutra scit, expectat utraque; Rex, quod per nuncium intellexit ille, nisi suos juverit, non se priùs prandium sumpturum jurat, quàm, fidei pignus, filium trucidaverit. Ex adverso orat *Richmondiæ* Dux per sacrum vitrici nomen, per & mariti, (quippe matrem perituram prævidet, pereunte filio) per quicquid charum, patriam, parentes, jura, pietatem, fidem; succurrat ilicò ruituræ patriæ, juvet suos. Quàm impar votum! unus emittit *minas*, alter *preces*; Imperantem sequeris, strenue vir, an exaudis impetrare laborantem? *Quanta malorum moles me miserum obruit!* exclamat ille; *Quàm sum infelix pater, maritus, vitricus,* Dux! *Filium, conjugem, privignum, patriam, quàm lubens conspicer! quid perdam horum? ô, perdam nihil: at, dum fallacis umbrâ spei, & inani voto, complector omnia, teneo nihil, Quid? num privignum ergo?*

In

In utramque partem ducor affectu pari;
———Nil possum piè,
Pietate salvâ, facere; quodcunque meo
Præstabo nato, fiet privigni malo.

Quid ergo? *Conjugem?*
———Animum distrahit geminus timor,
Hinc gnatus, illinc conjugis chara caput;
Hinc meum perdo; illinc dimidium mei.

Quid ergo? patriam? Me Patrem *Filius vocat; sed & me* Patrem *Patria. Juvo* Richmondiæ *Ducem? amitto filium; Juvo* Richardum *Regem? sic perdo patriam; sic cum privigno conjugem; Neutrum juvo? sic hunc, sic illum; sic hanc, sic illam; sic perdam omnia. Quid faciam miser? componam lites, servabo omnia. Dicam privigno;*

Fræna furialem (precor,) & siste impetum;
———neve, quam regere expetis,
Everte Angliam.———

Petendo patriam, perdis; Ut fiat tua, vis esse nullam. At has non patitur moras prælium,

lium, dicto citiùs, committendum; non patitur Furor jam concitatus. Quin dicat Regi infaustus Nuncius; Detrectat jussa *Pater Stanleius* tua; inquit, Si filium mactes, plures habet. Euge invicte vir, nec conterende minis, nec promissis capiende. *Preferre patriam liberis* sic decuit Ducem.

Alios parentes alloqui in luctu decet,
Tibi gratulandum est, pater, quod nato cares.

At non *carebis* tamen; salvum sospitemque dabit *Fortuna* filium, quem tu te patriæ dedisse putas.

——Nondum pendet exiguâ malè
Caput amputatum parte, nec trunco cruor
Exundat [necdum] ora cum fremitu jacent.

Vivet, Vivet, inquam, finito prælio, & in paternos amplexus totus ruet; Cujus tu, pius pater, *exequias* meditaris, is tecum lætos aget *triumphos,* & novo Regi, paternis faustè partam auxiliis, victoriam gratulabitur. Sed dedignamur, causæ

causæ æquitate elati, faventis adeò *Fortunæ* flatum anticipare; Sentiatis juvenem brevi trucidandum, & sic adhuc sentit *Stanleius* pater; Nec is *hoc ultrò recusat perpeti*,

Sed, quam parenti patriaque debet,
Animam libenter reddit.——————

Hoc sæpè factum florente *Græciâ*; Hoc novit olim, dum fælix, *Roma*; novit *Hispania*; nec à nobis sola putetur *Anglia* tantam nescire animi constantiam, tantam pietatem. Fertur, Academici, de *Cratisicleâ* quadam, matre *Cleomenis*, *Spartæ* regis, quòd cùm is grandi bello cum *Achæis* distineretur, sed & *Antigonum* simùl & *Macedonas* timeret, à se impar omnibus, opem, & opes, à *Ptolemæo Ægypti* rege impetrabat, hac autem lege, ut mater & filius obsides fidei in *Ægyptum* mitterentur; Durum hoc visum *Cleomeni*, conatus tamen, necessitate adigente, idem matri proponere, sæpè abscidit, abscessit sæpe: acuti ingenii mulier aliquid suspicata, amicos percontatur, Ecquid vellet effari *Cleomenes*, nec

nec auderet pudibundus : re intellectâ, hortatur illos submonerent filium ; modestum nimis acriter incitarent; qui tandem, collecto spiritu, iniqua *Ægyptiaci* Regis postulata aperit; illa, in cachinnum effusa protinùs, *Et hoc erat*, inquit, *quod dicere abstinebas? Mitte corpusculum hoc quòcunque terrarum, ubi* Spartæ *usui futurum sit potiùs, quàm hîc domi senio, & desidiâ, solveretur ; Tu, fili, interea te virum simul ac Regem præsta.* Sic fata mulier mitti instit, &, assumpto nepote *Ægyptum* navigavit. Quàm lubens hic me sisterem, Academici, & tantam in fœminâ virtutem admirarer! sed cogor ultrà ducentem sequi, ne putarer debitam Cratificléæ gloriam (quod nollem) invidere. Non multò pòst, cùm *Ptolemæus* parùm ex fide ageret, & occasionem habuit *Cleomenes* cum *Achæis* paciscendi, cunctatus solùm ob matrem & filium, ut quorum vitas hoc pacto videt in apertius discrimen vocandas, rescripsit illa, Anum & puerum nil curet; *Ptolemæum* negligat ; quodcunque tandem

dem è dignitare *Sparta* futurum prævi-
derit, illud agat; Et egit, Academici; at
sic hæc & ille sub infido hospito, *Ægypti*
Rege, postea periere.

Quanto parentes sanguinis vinclo
tenes,
Natura! quàm te colunt inviti quo-
que!

Magna erant, nec diffiteor, Academici,
quæ cum *Achæis* gessit *Cleomenes* bella;
at, ut matrem taceam, cùm natum ob-
sidis dandum vice, cùm etiam neci tra-
dendum viderit, quantô intra paternum
pectus, & obluctantia piæ naturæ visce-
ra, gessit majora! nunc huc, nunc illuc,
habuit *Euripo* magis fluctuantem ani-
mùm; nunc spiritu citiùs possit carere,
membris, luce, ipsoque regno, sic
natum amat: nunc ipsó *nato*, sic amat
patriam. Quid tandem agit? exuit *pa-
rentem* ut *Regem* induat; amittit *filium*,
ut servet *Spartam*. Quin hæc forte *Regi*
permissa optio, *nobili* negata: *Stanleio*
non licet quod licuit *Cleomeni*. Quid?
num ergo in scelus vertitur suprema pie-
tas?

tas? nec summo placet Virtus Numini nisi coronata? Aut fallor ego, & quod in *Rege* laudandum facinus, haud excusandum scelus in *nobili* æstimatur?

———*Sanctitas, pietas, fides,*
Privata bona sunt, quà juvat, Reges eant.

Sic olim *Atreus*; imò & sic noster *Atreus, Richardus*. Et in hoc saltem *Stanleio* gratulandum, cui in *secundis* licet esse pio, dum Tyranno libet impio *inprimis* esse & inhumano: cui licet tandem servare patriam, dum placet illi obsidem trucidare. Quòd si tamen, post illustratam pari facinore *Græciam*, relictâ *Româ*, *Hispaniam* adirem, aliud adhuc exemplum petiturus, vereor hanc nostri *Stanleii* pietatem, quæ, quòd tanta fuit, impietas putatur, in suum simul ac gentis nostræ dedecus abituram, tantillam exstitisse. Nam scriptum legimus de *Alphonso Hispano*, quòd cùm *Sanctius Castellæ* Rex *Tariffam* urbem *Mauris* abstulisset, sed ob hostiam viciniam, &

ingen-

ingentes sumptus, difficilius sensit partam tueri, quàm fuisset acquirere; anxium Regem adit *Alphonsus*; in se unum urbis curam suscipit; stipendii partem se daturum promittit, Rex aliud agat, *Tariffæ* securus: non citiùs factum, quàm *Sanctii* hujus frater *Joannes* ad *Mauros* transit, acceptis copiis *Tariffam* obsidet; obsessi interim nihil trepidare; in suâ, & ducis, virtute fidere; animos supra periculum habere. At ecce quàm sit hæc rerum subitò mutata facias! *Alphonsi* filius, ut per agros divagatur, ab hoste capitur;

——Hunc, circum mœnia ductum,
Objiciunt patris ante oculos, gladiisque minantur
Ni dedat, quam non longùm tutabitur, urbem,
Acturos sese nati intra viscera ferrum,
Et patrium charo sparsuros sanguine vultum.

Quo viso perturbantur populares omnes, solus pater immotus animo, vultu

immutatus, negat se urbem dediturum hostibus, nec, si vel centum sui filios habuissent, se lato ungue à fide discessurum; Quin si vos tanta jugulandi pueri habeat libido,

——————————*Ferrum.*

Hoc, ait, accipite, & ferrum de mœnibus altis
Projecit.——————————

Stupor me habet hæc scribentem, inquit *Lipsius*, nec me minor, Auditores, habet hæc *enarrantem. Quid spectantes habuit?* addit ille; addam ego, Quid vos habet *audientes?* Patrem nempe filium, eumque unicum, nominis memoriam, præsidiū generis, hæredem familiæ, tantilli æstimâsse. Quis, cùm *Alphonsum* viderit manum capulo admoventem, evaginantem gladium, non senserit patrem in sua potius acturum viscera, quàm hosti daturum, quo filium interficeret. At nihil hic jura Naturæ valent, prævalet fides, et amor *Tariffa.* Quid quod *Stanleium* pariter movit fides, & amor *Angliæ?* fides scilicet data *Richardo*, turpiter

ter violatâ. At nihil minùs; filium dedisse, fatemur ultrò; fidem intereâ, cui nullam debuit, dedit nullam. Ut fidei obsidem accepit ille; hic tantùm ut latranti offam cani projecit, &

Toto spiranti rabido de corpore flammam.

Sic enim maluit unius jacturam filii sustinere, quàm certam totius familiæ cladem, & impendentem patriæ ruinam expectare. Et quotusquisque vestrum est, qui tam imprudentem possit putare S*tanleium*, ut, cujus conspectum amisso (ita desperavit) filio, nuper evitârat, eundem, nullâ necessitate adigente, adiret quamvis armatâ manu; &, quem oportuit potiùs territum adhuc, vixque sui compotem, opprimere, copiis sublevaret; Quin & sentiat eâdem operâ daturum scilicet Tyranno gladium, à quo ipse feriatur. Non ignorat *Stanleius* noster quos illo alter *Nero*, *Richardus*, obliquo semel oculo conspexerat, ad cædem omnes esse designatos; qui si nescivit aliquandò quos suo merito interficeret,

ceret, inquiri jussit quos potuerit immeritò suspicari. Sic ille apud Tragœdum;

————Alios quærite, ô socii, reos,
Quos sermo, nutus, lætitia, mæror, metus,
Vel signa quævis levia, suspectos dabunt;
Arguite, rapite, trahite, convicti rei
Ita moriantur, sentiant ut se mori.

At nec jam primò suspecta Regi *Stanleii* fides; erupit olim illud incendium, cùm in frequenti Nobiliũ consessu assidenti percussorem immisit; nec vivum dimiserat, nisi metuisset sibi, ne filius hic, quem nunc tenet obsidem (ne iterùm metuat) turbas concitaret. Mitto alia, rariùs fallentia, indicia, quibus iratum sibi futurum Regem præscire potuit, nec tamen, nisi frustrà, præcavere. Id tantùm addam; Si *Richardum* noster juvisset *Stanleius*, & strenuè dimicuisset, confecto prælio, & Tyranno ejus successu confirmato, supplicium capitis, haud aliud certè tantæ virtutis præmium

mium accepiſſet : pari ſorte ac *Henricus* ille *Buckingamiæ* Dux , eundem *Richardum*, vel ultra aras metaſq; fidei, armis & officiis proſequutus. Sic ſæpè aliàs factum ;

Mortem Tyrannus præmii dedit vice.

Quin adhuc hæret vobiſcum, ſcio, prona adeò, quamvis imperati, obſidis traditio. En vultum animi cujuſque veſtrum aut ſuſpenſi, aut ſuſpicioſi indicem ! cui inſcriptum lego (niſi me fallunt oculi) *Sic durus pater filii nece ſuam gaudet vitam redemiſſe*; quam ille interim non tanti æſtimat. Eſt aliud longè & vitâ ei, & nato, charius ; Patria nimirum, per tot annorum ſeries civili diſcordiâ miſerè lacerata; Quòd ſi in pugnâ fortè ceciderit *Richardus* (& ſperat fore quod optat tantum, quodque ſuis totus urgebit viribus *Stanleius*) facto inter utramque partem, fælici conjugio , tum tandem videt nullam publicæ ſaluti & paci moram ſuperfuturam. At quid rei eſt, ut cujus ille auferendas ſibi promittit moras , ſit ipſe mora ? Cur, qui *Richmondiæ* Ducem


ſtatuit juvare, nondum juvat? Conſultò factum; Sperat Tyrannum, quem in ſuâ causâ præliantem non habet, ſi nec eundem viderit adverſantem, aut, omninò velle à ferâ obſidis cæde abſtinere, aut jam anxiè inſtruendo milite occupatum, ſolùm paternæ fidei reum ſaltem ampliare: O ſpem fallacem minimè! fælix augurium! Inquit *Richardus*,

——*Nefandi patris invisam prolem*
In Castra ducite, Marte *confecto*, *statim*
Capite paterni criminis pœnas dabit.

Hæc præfatus ad pugnam accingitur; In quâ non temerè, dicam, & deſperanter; hoc dandum, quamvis Tyranni, merito, & Veritati litandum; fortiter conflixit, ut qui in mediâ noſtrorum acie dicitur obiiſſe quod de *Catilinâ L. Florus*, *pulcherrimâ morte, si pro patriâ concidiſſet.* Quid aliud reſtat? Gratulamur jamtandem tibi, fortunate Dux, & tuum, & Patriæ, hoſtem interfectum; Victoriam partam; filium forti manu redemptum, recuperatum; Tuæ præſertim virtuti

tuti Dux *Richmondius* coronam; Conjux vitam; Patria salutem acceptam refert; Nos omnes tibi, *Richardo* tertiò auxilium pernegant, & debemus hodiernam, & futuram in perpetuum ſumus ab inteſtinis diſſidiis (ſim verax vates) immunitatem debituri.

Dixi.



Antimachus Gigantum;

In istam quæstionem; quæ solet disputari à Commentatoribus in Aristot. 1. Physſ. cap. 4.

Utrum in quavis specie detur corpus maximum & minimum,

Digressio de Gigantibus.



Rebra est in veteribus historiis, & poëtarum fabulis, tum etiam in ore vulgi, *Gigantum* mentio, unde alii, creduli nimis, persuasi sunt pro certo tenere, alii verò, sapientiores, meritò dubitare, fuerint unquam, necne,

ne, portentosi ejusmodi, tantæ magnitudinis, homines; Nos impræsentiarum contra *gigantes* istos certamen instituimus, & post firmas, philosophiæ rationes (ex quibus demonstratur tantæ magnitudinis impossibilitas) contra eorum patronos, nunquam tales, quales asseruntur, *gigantes* fuisse, contendimus; ordimur autem à poëtis, qui præcipui eorum patroni esse creduntur. Dicuntur illis *gigantes* è *Terrâ* & *Cæli* sanguine nati esse, cùm *Saturnus* patri suo abscidit testiculos, sicut apud *Hesiodum* in *Theogoniâ*;

Ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι,
πάσας δέξατο γαῖα, περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν
γείνατ' ἐριννῦς τε κρατερὰς, μεγάλους τε γίγαντας.

quos sic licet *Latinè* accipere;

Sanguineæ quotquot guttæ cecidere, recepit
Terra omnes; eadem rursus, volventibus annis,

Horrendas peperit Furias, *magnosque gigantes.*

&, qui citatur, *Orpheus*, apertiùs;

Οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο:

Quòd sint è Terrâ *generati & sanguine Cœli.*

Plerunque verò à matre denominantur, & *Terræ Filii* appellantur; ut apud *Sophoclem*;

Οὔθ' ὁ γηγενὴς στρατιὰ Γιγάντων. (i.)

Neque Terrigenûm exercitus Gigantum & apud *Homerum* in Βατραχομυομαχίᾳ.

Γηγενέων ἀνδρῶν μιμούμενοι ἔργα Γιγάντων.

quem versum ego sic *Latinè* reddo;

Terrigenûm *Heroës imitati facta* Gigantum.

Idem habet *Ovidius*; lib. 5. *Fastorum*;

Terra *feros partus, immania monstra,* Gigantes
Edidit, ausuros in Jovis *ire domum.*

Atque hoc ipsa vox Γίγας, ejusq; etymologia, innuere videtur, quam *Eustathius* deducit ἀπὸ τοῦ γίνεσθαι ἐκ τῆς γῆς, sive γᾶς *Doricè*, quia è *Terrâ* nati ferebantur. Tantum de eorum parentibus.

Staturæ

Staturæ autem, & magnitudinis, tantæ fuisse perhibentur, quantam vix credere fas est. *Homerus Odyß. lib. 11.* sic de illis loquitur;

Ἐννέωροι γὰρ τοίγε καὶ ἐννεαπήχεες ἦσαν
Εὖρος, ἀτὰρ μῆκός τε γενέσθην ἐννεόργυιοι.

quod sic transtulit *Natalis Comes*;

Atque novem cubitos ambo crevere novennes
In latum, longumque novem corpus fuit ulnas.

Aliud est de illis *Ovidii* commentum, loco priùs citato;

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues;
Atque ait, in magnos arma movete Deos.

Unus, *Typhoëus*, tantæ magnitudinis fuisse dicitur, ut cùm tota *Sicilia* tribus promontoriis claudatur, tota supra ejus corpus posita sit; cujus supra dextram est situs *Pelorus*, qui *Italiam* proximò tendit; supra lævam *Pachynus*; supra crura *Lilybæus*; capiti verò *Ætna* superimponitur; quod stupendum stupendi mon-

ſtri ſepulchrum *Ovidius* ſic deſcribit;

> *Vaſta* Gigantæis *injecta eſt inſula membris*
> Trinacris, *& magnis ſubjectum molibus urget*,
> *Æthereas auſum ſperare*, Typhoëa, *ſedes*;
> Nititur *ille quidem, pugnatque, reſurgere ſæpè*,
> *Dextra ſed* Auſonio *manus eſt ſubjecta* Peloro,
> *Læva*, Pachyne, *tibi*, Lilybæo *crura premuntur*,
> *Prægravat* Ætna *caput*, &c.

Et *Virgilius Æneïd. 6. Tityum* deſcribit;

> *Nec non &* Tityum, Terræ *omniparentis alumnum*,
> *Cernere erat, per tota novem cui jugera corpus*
> *Porrigitur.* ——— ———

Eundem eodem modo deſcribit *Tibullus*;

> *Porrectuſque novem* Tityus *per jugera terræ.*

Unde colligere libet, eos omnes, juxta poëtarum delineationem, immenſæ, imò

incre-

incredibilis planè, magnitudinis fuisse. Hi verò *Gigantes* tanti roboris fuisse, tantæque audaciæ, perhibentur, ut ipsis *Superis* bellum inferrent; quod memorat *Virgilius 6. Æneïd.*

Hîc & Aloïdas *geminos immania vidi*
Corpora, qui manibus magnum rescindere cælum
Aggreßi, superisque Jovem *detrudere regnis.*

Quo autèm propiùs, & faciliùs, cum *Diis* manus conferre possent, ingentissimos, & altissimos, montes accumulâsse dicuntur; ut apud *Ovidium Fast.* lib. 5.

Extruere hi montes ad sydera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.

Virgilius ipsos montes nominat *Georg.* I.

——— *tum partu* Terra *nefando*
Cæumque Japetumq; *creat, sævumque* Typhoea,
Et conjuratos cælum rescindere fratres;

Ter sunt conati imponere Pelio Ossā
Scilicet, atque Ossæ *frondosum invol-*
vere Olympum.

Quod ille mutuatus videtur ab *Homero Odyss.* 11.

Ὄσσαν ἐπ' οὐλύμπῳ μέμασαι θέμεν, αὐτὰρ
ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλεον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

nisi quòd alio ordine montes invertisse videatur. Quis verò tandèm *Gigantum* istorum exitus fuerit, pari modo docent poëtæ; scilicet dignos eos sceleris & temeritatis suæ pœnas dedisse, & *Jovis* fulmine dejectos fuisse, ut *Virgilius* in loco prius citato;

Ter pater *extructos disjecit fulmine*
montes.

& *Ovidius*;

Fulmina de cœli jaculatus Jupiter *arce,*
Vertit in authores pondera vasta suos.

Sic habetis breviter poëticam de *Gigantibus* narrationem, quinam scilicet eorum parentes fuerint; qualis statura corporis; quæ res gestæ; & denique quis exitus: in quâ narratione siquis veritatē histori-

cam

cam inesse putet, næ ille dignus est qui in summo meridie planè cæcutiat, aut

——*jungat vulpes, aut mulgeat hircos*,

Longè alius certè, & multô sublimior, nobis sensus ex hisce poëtarum umbris est eruendus, allegoricus scilicet, sive mythologicus, quem in plurimis eorum descriptionibus præcipuè oportet attendere. Sunt igitur *Gigantes*, secundum *Sabinum*, (qui mythologicam edidit in *Ovidii Metamorphosim* interpretationem) *nefarii conjuratores*, qui in legitimi *principis*, aut Reipub. ruinam conspirant, quales olim *Sylla*, *Marius*, *Catilina*; & apud nos, (heu nimium recenti memoriâ!) *pulverarii proditores*, fuere. *Goropius Becanus tyrannos* illos fuisse vult, idque præcipuè ex *Belgicâ* hujus vocis (*Gigantis* scilicet) etymologiâ apparere contendit. Potest autem extendi fabula ad omnes in genere *malos* homines, præsertìm *violentos*, *impios*, *libidinosos*; Illi è *Terrâ* nati dicuntur, eò quod toti *terrenis* rebus inhiare videantur; nèc quicquam habeant *cæleste* præter *sanguinem*

(id

(id est, interprete *Becano*) vitam brutalem, lumine mentis prorsùs sepulto sub fœdo corporearum libidinum barathro. Dicuntur *immania corpora*, vel quia *corporeis bonis*, robore, opibus, honoribus præpollent; vel quia *corporeâ vi* cuncta tentant, adeò ut ipsum cœlum velint rescindere, nòn *ratione* ullâ humanâ, aut divinâ, sed *manibus* (*i*) violentâ *manuum* injectione, in quâ omne jus, & omnem potestatem volunt esse constitutam; Inde *Briareus centimanus* dictus, & à *Virgilio centumgeminus*, eò quod *centenas* (*i*) infinitas *manus* haberet, quibus omnem *Deorum* potestatem, sive totum *Rationis* regimen territabat; cui nescio ecquid magis alludat quàm *Græcum* illud proverbium, quod ex *Æschine*, & *Polybio*, docet *Erasmus*, τῶν χειρῶν νόμος, sive *jus manuum*, quod de iis dici consuevit, qui non secundum normã *rationis*, sed violentâ *manu*, quicquam faciunt. Dicuntur iidem *Superis* bellum intulisse, eò quod omnem religionis, pietatis, & virtutis, curam excutiant, & ipsum

ipſum *Jovem*, ſive ſupremum illum rerum moderatorem, blaſphemiis, & nequitiis; ſive *Rationem*, quæ in animâ humanâ dominatur inordinatis affectibus, de ſolio ſuo deturbare conantur. At nòn impunè ferunt *Gigantes* iſti ſua ſcelera; *Nemeſis* à tergo eſt, nec deſerit unquam

——*peccantes pede pœna claudo.*

Feriuntur fulmine (*i*) vindictâ divinâ, & præcipitantur in *barathrum*; quæ fortè ratio commovit poëtas ut eos in *Siciliâ*, aut *Theſſaliâ*, ſtratos, & ſepultos, fingerent, quia crebriores illic ignium eructationes, quibus *barathrum* aptiſſimè repreſentari credebant. Sic videtis tandem poëticam illam *gigantomachiam* prorsùs evaneſcere in allegoriam, nèc quicquam indè concludi poſſe quod ad aſtruendam ingentem monſtrorum eorum magnitudinem faciat.

At qui ex hiſtoriis eruunt *Gigantum* iſtorum narrationem multô fortius vibrare telum videntur; hiſtoriam ſiquidèm appellat *Cicero lucem veritatis, magiſtram*

gistrum vitæ, quæ si vera sit, & probata, non leve afferre potest ad probationem argumentum. Historias autem hîc non appello illas, seu potiùs fabulas, aniles, quæ de ingentibus, et pluribus, *Gigantibus* circumferuntur, quos dictus noster tutelaris Divus *Georgius*, aliique illustres heroës debellâsse dicuntur. Nèc historiæ nomine dignor vulgatam illam fabulam de *Gigantibus*, hujus *Insulæ* nostræ *Britannicæ* incolis, & præcipuo inter eos monstro *Ogmagog*, cujus etiamnum in vicinio nostro nomen celebre est, quos *Brutus* ille à Divino sanguine oriundus stravisse fertur. Explosa est jamdudum isthæc fabula, ejusque vanitatem, post alios multos, clarè ostendit doctissimus *Cambdenus* in suâ *Britanniâ*. Hujusmodi historias, & siquæ sint aliæ hujus generis, rejicimus, ut spurias, & verè *Gigantæas*; easque tantùm admittimus, quas sapientes non hujus modò, sed & superorum sæculorum, viri pro genuinis, veris, & probatis, agnoverunt. Occurrit imprimis *Strabo*, insignis ille Geo-

graphus

graphus (lib. 5. Geogr.) ejus verba hæc ſunt. τινὲς δὲ καὶ Φλέγραν διὰ τοῦτο τὴν Κυμαίαν νομίζουσι κληθῆναι, καὶ τῶν πεπτωκότων Γιγάντων τὰ κεραύνια τραύματα ἀναφέρειν τὰς τοιαύτας προχοὰς τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ὕδατος. (i.) *nec deſunt qui* Cumanum *agrum ideò* Phlegram *judicent appellari* , *&* Gigantum *ibi occiſorum fulminibus inflicta vulnera ignem iſtum aquaſque ebullire.* At perpende ſatis verba, nòn loquitur ex propriâ ſuiipſius ſententiâ, ſed aliorum, τινὲς (inquit) *nonnulli*, haud planè, ac ex certâ eorum ſcientiâ, aut ſententiâ, ſed opinione, & conjecturâ ſuâ, νομίζουσιν, *opinantur*, conjecturâ poëticis iſtis fabulis de *Gigantibus* malè fundatâ, et innixâ, quod vel inde liquere poteſt, quod paulò ſuprà in eodem libro citat verſiculum illum *Homeri*, eumque ad *Cimmerios Italiæ* populum applicat

——— οὐδέποτ' αὐτοὺς·

Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ———

quem ſic tranſtulit doctiſſimus *Caſaubonus*;

——— *neque*

——— *neque unquam*
Illos illustrat radiorum lumine Titan.
quod poëticam fictionem ſapere cuivis facilè conſtat. Talis ferè per omnia locus habetur lib. 6. ejuſdem authoris: μυθεύουσι δὲ ὅτι τοὺς περιληφθέντας τῶν Γιγάντων ἐν τῇ κατὰ Καμπανίαν Φλέγρᾳ Λευτερνίους καλουμένους, &c.

Ferunt (inquit) Gigantes, *qui è* Phlegrâ Campaniæ *evaſerant*, Leuternios *dictos, eò uſque ab* Hercule *fuiſſe exagitatos, ibique terrâ obrutos, & ex eorum ſanie ſcaturiginem talem eſſe, ideóque eam etiam maris oram*, Leuterniam *vocatam eſſe.* Vides rursùm verbum μυθεύουσι, quod *fabulare* et *fingere* potiùs ſignificat, quàm pro certo *credere*, aut referre. Adeò tantùm videtur *Strabo* ex aliorum ſententiâ, vel potiùs conjecturâ, loqui, quos fabulæ poëticæ nimiâ ſuâ credulitate faſcinâſſent.

At apertiùs multô contra nos citatur *Plinius* (lib. 7. *naturalis hiſt.* cap. 16.) audiamus ipſa ejus verba. *In plenum cuncto mortalium generi minorem indies fieri*

fieri propemodum observatur, rarosque patribus proceriores, consumente ubertate seminum exustione, in cujus vices nunc vergat ævum. In Cretâ, *terræ motu rupto monte, inventum est corpus stans 46. cubitorum* (in margine verò, ex doctissimorumvirorum castigatione, pro 46. *cubitis* ponuntur 16. adeò statim pereunt 30 *cubiti* ab immani hoc monstro) *quod alii* Orionis, *alii* Oti *fuisse arbitrantur.* Orestis *corpus oraculi jussu refossum* 7. *cubitorum fuisse, monumentis creditur. Jam verò ante annos propè mille vates ille* Homerus *non cessavit minora corpora mortalium quàm prisca conqueri,* &c. Huic authoritati obviam it *Goropius Becanus* in *Gigantomachiâ* suâ, acuti certè & subtilis ingenii vir, nisi quòd nonnunquàm (ex *Criticorum* more) ignei & fastidiosi, cujus vestigia insequi mihi nequaquàm pudori esse potest. Negat igitur naturam in hoc mundi senio minora proferre corpora; negat imminui facultatem generatricem; aduri semen; aut deficere stellarum cœlique influxum, qui vege-

N tando

tando ſemini requiritur. Et certè in philoſophiâ veriſſimum id oportet eſſe quod aſſeritur, nèc enim potuiſſet aliter *Ariſtoteles* planè ponere æternitatē mundi, ſpecieiq; perpetuationem tueri, ſiquid in hac rerum compage immutatum aut diminutum fuiſſet; At nullam talem mutationem obſervavit Antiquitas, nèc hodierna notare poteſt Experientia; ſolida ſcilicet omnia ſunt, firma, & ſtabilia;

————— *condita pergunt*
Ordine quæque ſuo, rerumque à principe curſu
Fixa movent. ——— ———

At verò quia *Plinius Homerum* ſententiæ ſuæ authorem, vel aſſenſorem citat, ut videatis quàm non verè adeò, ac hyperbolicè, loqui ſoliti ſint, quantumque illis in hujuſmodi narrationibus fidei debeatur, unico exemplo oſtendam. *Homerus* vires *Diomedis* ſic deſcribit;

——— ὁ δὲ χερμάδιον λάβε χειρὶ
Τυδείδης, μέγα ἔργον, ὃ οὐ δύο ἄνδρε φέροιεν,
οἷοι νῦν βροτοί εἰσ'· ὁ δὲ μὶν ῥέα πάλλε, καὶ οἶος.

quos verſus ſic *Latinè* accipere licet;

—— *Saxum*

——Saxum capit ingens
Tydides, *qualem haud homines cervice ſubirent*
Bini; quod ſolus, faciléque per aëra mittit.

Quod mutuatus & imitatus *Virgilius* lib. 12. *Æneïdos*, eccè ut ex *plethro* faciat *jugerum*, ut hyperbolicè eum locutum eſſe planè agnoſcas; ſic enim *Turni* robur extollens de duobus facit duodecim.

———ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum ingens, campo qui fortè jacebat,
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis;
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Sed ut redeamus unde digreſſi ſumus (ſi tamèn digreſſio iſthæc dici mereatur quæ præcipuum attingit hujus quæſtionis fundamentum) negat *Becanus* id quod *Plinius* aſſerit, quodque ex multis aliis hiſtoricis aſtruitur, fuiſſe unquam

 inven-

inventum tantæ magnitudinis cadaver, nòn humanum certè, at benè belluinum, aut marinum, qualia multa ingentia terra, ſed mare præcipuè, alit corpora, quæ fortè ratio eſſe potuit quòd ſimplices homines marinorum animalium oſſa per littus diſperſa *Ajacis*, *Aſterii*, & *Hylli*, cadavera eſſe crediderint, nàm eorum ſepulchra mari & tempeſtatum vi recluſa perhibéntur. Nèc certè contemnendum eſt, aut vile, quod ipſe ad fidem ſibi faciendum producit. Aſſervantur *Antuerpiæ* apud *Brabantos*, hodiéque oſtentantur, *gigantis* cujuſdam oſſa, quem fama eſt *Scaldis* fluvii, qui *Antuerpiam* alluit, ripam tenuiſſe, manuſque illorùm, qui illàc iter facerent, vectigalis loco amputâſſe; ac veniſſe tandèm *Brabonem*, neſcio quem, *C. Julii Cæſaris* ſocium, ac commilitonem, qui inito certamine *Gigantem* illum ſuperaverit, &, talionem ſceleribus reddens, dextram ejus reciſam in *Scaldim*, quantâ potuit vi, conjecerit. Ad æternam autem iſtius facti memoriam caſtrum illìc à *Julio* extructum

ctum nomine *Hantwerpum* (*i*) *manus projectionem*, totam autèm proviciam à *Brâbone* vindice, & victore, *Brabantiam* vocatam esse. Ea scilicet diu tinafama erat, vulgíque ora atque animos tenuit. At *Becanus* ea nòn *hominis* alicujus, sed *elephanti* ossa esse certissimè ostendit, & contendit. Quæ cùm impostura recentioris memoriæ homines deceptos & ignaros tenuerit, quid mirum si prisci ante tot sæcula faciles cujusvis fabulis aures præbuerint, quos vana *Deorum* suorum superstitio, & poëtarum nimia, (vel potiùs falsa) credulitas transversos rapuerit? Sic videtis eam, quæ a prophanis scriptoribus celebratur, de *Gigantibus* historiam non aliud esse quàm vulgatum illum de montium partu apologum,

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Quod unum superest, sacras paginas examinare (in quibus aliquotiès habetur *gigantum* mentio) id verò non est hujus loci, nec temporis, nec officii mei; Asscribam tantùm *Gilberti* .... verba

quædam ex ejus Commentario ſuper hanc vocem, *Gigantes*, decerpta, unde conjicere facile ſit interpretationem nòn ab eo tantùm ſed à pleriſque eruditis viris *Gigantemachia* iſta paſſa ſit. *Gigantum* inquit, *quatuor genera nominibus diſtincta, recenſentur, 1.* Nephelim *qui inter* Hevæos *habitârunt dicti quaſi* graſſatores *propter rapinam* [niſi meliùs fortaſſè hoc nomen interpretatur *Becanus cadentes*, eò quòd, uti in ſacris literis legimus, *deciderint* à primævâ religione & puritate, cui interpretationi non malè inſerviat epitheton illud quod *Strabo* in loco ſuperiùs citato (5. ſcil. *Geogr.*) *Gigantibus* attribuit τῶν πεπ]ωκότων γιγάντων, *Gigantum cadentium*] 2. Emim, *inter* Jebuſæos, Moabitas, *&* Ammonitas, *quos hi gentili nomine* Zanzumim *quaſi* formidabiles *propter violentiam nominârunt.* 3. Anachim *apud* Hethæos, *quaſi* torquati, *ab opum ſuarum oſtentatione*. 4. Raphaim *qui ſedes habuerunt inter* Amorrhæos & Palæſtinos *nomine ſumpto honeſto*, inquit ille, *quòd* Servatores

tores *&* Curatores *essent*, *nam* Rapha *Hebræum*, *sine* He, curare *sive* mederi *significat*; *at* Pagninus *vocem illam à* Raphah, *quod est* dissolvere, *deducit*, *eò quòd homines* (inquit) *qui eos vident* dissolvuntur, *adeò ut sese mortuos esse credant.* Videtis utramque hanc historiam facilè (etiàm retentâ nativâ vocabulorum significatione) abire in mythologiam, adeò ut *Gigantes* isti, qui in S. literis memorantur, non essent progenies aliqua hominum quoad corpus monstrosorum, qui reliquos omnes tantâ proceritate & magnitudine superarent, sed homines quoad animum *Gigantæi* (h. e.) impii, tyranni, rapaces, violenti, atque (si unâ massâ complecti omnia liceat) tota vitiorum colluvies in unam inpurissimi corporis sentinam delapsa.

FINIS.



ERRATA.

PAg. 11. lin. 9. lege, eminentior venti flatus, p. 14. l. 4. l. tibicen, p. 18. l. 14. l. locus augustus, p. 20. l. [illegible] l. obmurmurance, p. 22. in Marg. l. *Conradus*, p. 24. l. 14. l. suas, p. 27. l. 12. l. *pas cynicus*, p. 44. l. 2. l. *Chrysostomo*, p. 47. l. 20. l. ut, dissentientibus iis, adiecit *Ciceronem*, p. [illegible] l. 2. l. *filiAS*, p. 64. l. ult. l. decursu, p. 71. l. 8. l. ut suis, p. 85. l. 13. l. collabascat, p. 90. l. 15. l. in vitium, p. 91. l. 11. l. quod ad, p. 100. l. 14. l. [illegible] ignorantia! p. 104. l. antepenult. l. exornatam, p. 108. l. 12. l. inflammandi sunt animi? (ut non nemo ait) p. 112. l. 9. l. Imperator, p. 117. l. 5. l. rapit *Porcia*, p. 119. l. 4. l. publicum Ærarium, p. 122. l. 13. l. perpetrati parricidii, p. 130. l. 3. l. qui si [illegible] non fultus patrocinio, nequeat, p. 13[illegible]. l. 1[illegible]. l. *ipse dixit*, p. 147. l. 13. l. praestiterat, p. 155. l. 9. l. hospite, p. 159. l. 22. l. ille alter, p. 163. l. 3. l. terrib,

